71.4.2.

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
7 I
37

Digitized by Google

Digitized by Google

Applicato al Coll.o Rom.o I

Digitized by Google

Applicato al Collo Rem.º I

Digitized by Google

II

Digitized by Google

TOTIUS PHILOSOPHIÆ PRINCIPIA

PER QUÆSTIONES

DE ENTE

IN COMMUNI

Ex Prælectionibus

P. IOANNIS MORAWSKI

SOCIETATIS IESU

explicata.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

EDITIO SECUNDA

POSNANIÆ,

Typis S.R.M. Collegii Poſnan. Soc: IES

Superiorum permiſſu.

Anno Dni 1682.

14.7.J.37



Digitized by Google

PERILLVSTRI
&
REVERENDISSIMO DOMINO,
D. STANISLAO
DE WOIENKI
WOIENKOWSKI.
Eccleſiæ Metropolitanæ Leopolienſis,
PRÆPOSITO
& pronunc
Ad Tribunal Regni JVDICI
DEPVTATO,
&c, &c,
Domino & Patrono Faventiſſimo.

Volebam cum orbe docto partiri Philoſophicos conatus, ne nocti triſtique ſilentio laborarem. Et partiar, ſi non aliter eos luci publi-

cæ do-

Digitized by Google

cæ donavero, quàm præfixo in prima operis fronte Nomine Tuo. Patet Magnitudini Tuæ tam orbis, quàm jurata virtutibus faſtigia: Igitur quando Te, ingens mundi hiſtoria, latè per populos perque ſublimia feres, ſacratam honori Tuo, paginam duces in comitatu: quo fiet, ut eruditior evadat mundus, Te audito, & liber hic non tam Lycæis natus videatur, quàm orbi. Ergo aſpiciat ſolem lucubratio: ſed jam Tuo ſub nomine. Mihi debet, quòd primam duxerit vitam, Tibi, quòd alteram. Poſtquam enim uſus longior, hanc qualem qualem operam in plura diſtraxiſſet, tantùm non exſtinxiſſet, de Tua munificentia, & ærario renaſcitur veriùs, quàm Pallas è Iovis cerebro. Habebunt ſcientiæ pretium, quas tanti facis, ut auro redimas; ne obſitæ exſpirent in ſqualore. Quippe Magnorum exemplo, ut cætera, ſic eruditio ſe propagat. Rectè *Mecœnas*. Tu literis vitam inſpiras; Tibi literæ æternitatem. Nec primùm ſua monimenta Tuis invehet manibus Philoſophia; inveniet ſe altè dominantem ſub erudito pectore, ubi ſpiran-

tia

tia ſcientiis Auguſtalia fixiſti. Non enim vanus terrarum hoſpes, peregrino & ſolo & cœlo nomina miſcuiſti; ſed extra Patriam ſic conceſſeras, ut in ſapientiæ regnum immigraveris. Limabas animum Philoſophiâ: & vidit Latium potuiſſe Ariſtotelem hauriri, non Euripo magìs, quàm Tuâ capaciſſima mente: ſolem quoque Aquinaticum æquè Tuo pectori inhærere, ac cœlo cuipiam. Habebunt ergo lucubrationes Philoſophicæ, in Te uno & Mecænatem Philoſophantium, & Philoſophum: & hoc ipſo evadent ſecuræ de omnium ætatum judicio, ſi Tuo probabuntur. Sed tamen ſic ornabis Teipſo paginam, ut etiam è palleſcentibus chartis aliquid immortalitatis vividæ ſis accepturus. Occurres in ipſa operis fronte, qui Principiis Philoſophicis à Tuo nomine principium dediſti; atque ſic primum ſe aperiet in Tuis decoribus ratiocinium, quàm arcanis Philoſophiæ.

Quantum lecturis argumentum eris! Quos natalium fortuna, per veſtigia majorum ire volet, vix conſpecto nomine Tuo, ſimul in libri, ſimul in Domûs avitæ veſtibu-

ſtibulo hærebunt, ut è faſtis ac tumulo nanes ingentium Animarum, quas Tua ſtirps orbi dederat, evocet recordatio. Tandem ingens Tuum cognomentum amplitudini Abdanciorum, velut aurum auro, adjicies. Alii, panegyres educent ex animo, quem Tibi virtus ac eruditio formavit. juvabit meminiſſe non vana nomina: pietatem, quâ Superos adis; modeſtiam, pulcherrimum fortunæ temperamentum; ſparſam in plures munificentiam, cæteraſq; mentis auguſtæ dotes: donec in Te uno, omnia virtutis vocabula exhauriantur. Cæteri, honerarios excutient Faſces, quibus Tua merita honor illigavit: & Magnus in Sacro Senatu Leopolienſi eminebis. At non hîc ſe continebit publica exiſtimatio de Tua virtute: cùm nec egregius gloriæ curſus hîc conſtiterit. Certè ut fortuna ad magnarum faſtigia rerum Te conſignavit, ſic idem honor, quaſi futuri præſcius, tacitè nunc ambit, & prenſat; cùm præponit Sacro Senatui. Conſule haud ſilentem de Te famam: Unicum es ad altiora, votum populi, jactariſq; paſſim admurmuratione

fau-

fauſtâ, & ſummorum capax, & ſummis non indignus. Nam cùm Tua virtus & fortuna, ſenij fatiſcentis neſciat injuriam, quædam principia magnitudinis, etiam in ſummo jacit. Poſſet de alio ſperari ſatis, de Te nunquam. Cum in apice ſtetiſti, vix unum veſtigium videris promoviſſe. Tyrocinium eſt Tibi fortunæ, & rudimentum celſitudinis, quod alijs faſtigium: tantùmq; Principiis dignitas proludet, poſtquam Te, altiſſimè ſubvexerit. At cùm expeditiùs ſit, Tibi, agere majora mihi admirari, quàm recenſere; nec Oratorem agam, ſed Philoſophum, locuturæ impono poſteritati. Accipite poſteri decoram *Perilluſtris ac Reverēdiſſimi Mecænatis mei* mentem in argumentum laudis, ut non unum ſub magnitudine illius gemat prælum. Abeat virtus hæc, per omnes faſtos, perq; omnia gloriæ monumenta latè incedat fama, quam ego jam non tam exſpectare videor, quàm ſpectare. Interea ſupremum mihi eſto, votis precibuſq; apud Te certare, ut eâ quâ Auctorem operis, benevolentiâ complecteris, acceptes Tuas, in pagina laudes ac Prin-

cipia

cipſa Philoſophiæ, quæ ego non ita in manu, ut in pectore Tuo vel arâ fortunæ, ſapientiæque videor depoſuiſſe.

Perilluſtri & Reverendiſſimo

Nomini Tuo.

Devinctiſſimus.

Ioannes Morawſki Societ. IESV.

Digitized by Google

FACULTAS Reverendi Patris PROVINCIALIS.

CUm opus, à Patre IOANNE MORAWSKI, noſtræ Societatis Sacerdote, compoſitum, & jam aliàs editum, ſub titulo: *Principia totius Philoſophiæ &c.* aliquot ejuſdem Societatis Theologi recognoverint, ediq; in lucem poſſe probaverint, poteſtate mihi, facta ab A. R. P. noſtro IOANNE OLIVA Præpoſito Generali, ut typis iterum mandetur, concedo. In cujus rei fidem, has literas, manu meâ firmatas, ſigilloq; munitas dedi. Poſnaniæ 2. Octobr. Anno Domini 1681.

BARTHOLOMÆUS WASOWSKI.

FACVLTAS
Perilluſtrìs & Reverendiſsimì, locum tenentis.

L*Iber, cui Titulus*, Principia totius Philoſophiæ, &c. *jam olim cum approbatione in lucem editus*

Reimprimatur

FRANCISCUS MIELZYNSKI
Archidiaconus Poſnanienſis,
Scholaſticus Vladislavienſis mp.

APPROBATIO
P. P. REVISORVM

T*Ractatus inſcriptus*, Principia totius Philoſophiæ &c. *Authore P. Ioanne Morâwſki, nobis dignus luce videtur. In Collegio Romano 2. Decembr. 1665.*

REVISORES LIBRORUM GENERALES SOC: IESU.

VIII

INDEX QVÆSTIONVM
Et rerum notabiliorum.

DISPUTATIO I.
De Ente reali & rationis.

QVÆSTIO I.
Quid ſit Ens reale? Vbi de regula definiendi Terminos per ſe notos & univerſaliſſimos.

QVÆSTIO II.
Quid ſit Ens rationis? à qua potentia, & per quem actum fiat, aut cognoſcatur? ubi an omne cognoſcibile ſit ens reale?

QVÆSTIO III.
Quid ſit Poſſibilitas non exiſtentium, etiam peccati? quid purè Poſſibile? quid Impoſſibile? quid Futurum? Vbi de diſtinctione eſſentiæ ab exiſtentia in creatis, de Verificativo item propoſitionum æternæ veritatis, & an omne ſimpliciter neceſſarium ex ſuo conceptu ſit purum bonum?

DISPUTATIO II.
De Non Ente.

QVÆSTIO I.
An dentur nemine cogitante, Negationes?

QVÆ-

QVÆSTIO II.

An Negationes in communi, diſtinguantur ab omni ente reali poſitivo?

QVÆSTIO III.

Cum quo ente poſitivo identificentur à parte rei Negationes æternæ?

QVÆSTIO IV.

Quid ſint in re Negationes temporales, & Privationes intrinſecæ ſubiectis, & nominatim Negatio rectitudinis in peccato? Vbi de Cauſa Peccati.

DISPUTATIO III.

De Attributis Entis.

QVÆSTIO I.

De Vno. Vbi de Diſtinctione ſimpliciter reali, Formali ex natura rei, Virtuali intrinſeca & extrinſeca. Item de Diſtinctione reali in tertio, de Diſtinctione rationis, de Præciſionibus.

QVÆSTIO II.

De Vnitate Vniverſali Quid ſit? An Vniverſale ſolum fiat ab intellectu humano? per qualem Præciſionem? & per qualem actum intellectûs?

QVÆ-

IX

QVÆSTIO III.

De Differentia ſpecifica. Quid ſit? An poſſit conſiſtere in prædicato negativo? an componatur ex duplici genere diſparato, præſertim ex Relativo & Abſoluto? & de inæqualitate Specierum in perfectione.

QVÆSTIO IV.

De Diſtinctione reali modali. Quid ſit? Vbi detur? Vbi de Vnione, Actione, Paſſione, Vbicatione, Duratione, Subſiſtentia, & Terminis Continui.

QVÆSTIO V.

De Vero & Bono traduntur plura Principia, & comparantur inter ſe, Verum & Bonum.

DISPUTATIO IV.

De Cauſis.

QVÆSTIO I.

De Connexione Cauſæ cum effectu poſſibili.

QVÆSTIO II.

De Conſtitutivo intrinſeco. Quid ſit? Vbi de Relatione prædicamentali identificatâ cum fundamento & termino. Item de Recto & Obliquo in qualibet denominatione.

QVÆ-

Digitized by Google

QVÆSTIO III.

De Cauſis in particulari, earumq; Cauſalitatibus, quid ſint in re?

QVÆSTIO IV.

De Duplici Actione totali. Vbi de ſuiipſius reproductione, de mutua cauſalitate, de duplici fine totali in actu ſecundo.

DISPUTATIO V.

De Diviſione entis.

QVÆSTIO I.

Quid ſit ens Subſtantiale & Accidentale? & de quibuſdam, quæ ex his definitionibus inferuntur.

QVÆSTIO II.

Quid ſit Ens Immateriale & Materiale. Vbi, an omne Immateriale ſit intellectivum?

QVÆ-

QVÆSTIONES
De Ente in communi.
ORDO QVÆSTIONVM.

SICUT dicit D. Thomas qu. de verit: art. 1. *Ens eſt id in quod omnes conceptiones intellectûs reſolvuntur.* Hinc eſt, quòd omnes propoſitiones veræ, quæ fiunt de Ente in communi, ſunt prima Principia, in quæ omnes aliæ veritates reſolvuntur. Ut ergo Principia totiûs Philoſophiæ explicentur, conſiderandum eſt ſcientificè Ens in communi. Quia verò ut docetur 1. met. tex. 48. *Omnis diſciplina eſt per demonſtrationem, aut per definitionem,* in qua includitur diviſio, ut pote parùm differens à definitione, ideò in conſideratione ſcientifica Entis, oportet uti triplici iſto modo ſciendi. Rurſus quia ad definitionem rei, ſpectat etiam cognitio oppoſitorum; ad diviſionem verò ſpectat cognitio differentiarum immediatè dividentium rationem communem; & tandem quia ad demonſtrationem ſpectat cognitio cauſarum, & proprietatum, [quatenus demonſtratio à priori, eſt per cauſam, demonſtratio autem à poſteriori, eſt plerumque per proprietatem;] ideò explicandum eſt primò

quid ſit Ens reale, quid Ens rationis, quid Poſſibile, quid Impoſſibile. 2do. agendum eſt de oppoſito Enti, ſcilicet de non ente, ſeu de negationibus, tam æternis quàm temporalibus. 3tio. de proprietatibus ſeu attributis Entis, & potiſſimum de Unitate tum ſingulari, tum univerſali, nécnon de generibus Diſtinctionis oppoſitæ unitati, ac de differentia ſpecifica. 4to. de Cauſis entium tum extrinſecis, tum intrinſecis, in communi. Tandem facienda eſt diviſio Entis ut ſic, & explicandæ differentiæ ipſius immediatè diviſivæ, quæ potiſſimum ſpectant ad conſiderationem philoſophicam, nempè Perſeitas & Inalietas, Spiritualitas & Materialitas. Hæc porrò omnia ita tractabimus, ut ubiq; ex occaſione aperiamus fontes, è quibus veritates per totam Philoſophiam derivantur.

DISPUTATIO I.

De notionibus Entis realis & rationis

EXPLICABITUR 1. quid ſit Ens reale. 2. quid ſit Ens rationis. Quia verò Ens reale vel eſt purè poſſibile, vel futurum, vel exiſtens, jam verò Ens rationis eſt impoſſibile; ideò explicabitur 3. quid ſint Eſſentiæ rerum creatarum ab æterno, ſeu quid ſit Ens purè poſſibile, & conſequenter quid ſit Impoſſibile, quid Futurum, quid Exiſtens.

QUÆ-

QVÆSTIO I.

Vtrum Ens reale convenienter explicetur per hoc, quod ſit objectum motivum potentiæ intentionalis?

Videtur quod non 1. quia abſolutum, cum ſit prius relativo, non bene explicatur relativè: ſed Ens reale ut ſic eſt quid abſolutum, utpote commune etiam Deo, qui eſt Ens maximè abſolutum: Ergo Ens reale ut ſic malè explicatur relatè ad potentiam intentionalem.

2. Nihil poteſt explicari relatè ad id, in quo formaliter includitur; cum quodlibet diſtinguatur à ſuo connotato. Atqui Ens includitur formaliter in potentia intentionali, & in actu ipſius; ſiquidem tranſcendit formaliter differentias ſuorum inferiorum, ut infra dicetur. Ergo Ens non poteſt explicari relatè ad potentiam intentionalem, actumq; ipſius.

3. Ipſa rurſus potentia intentionalis ut ſic, & actus ipſius, explicari debent per ordinem ad Ens reale tanquam ad ſuum objectum, à quo ſpecificantur. Ergo ſine circulo vitioſo nequit explicari Ens reale per ordinem ad potentiæ intentionalis actum.

4. Quia color ut ſic, explicatur per ordinem ad actum ut ſic potentiæ viſivæ, dicendo, color eſt objectum viſus; ideò talis color, v. g. album, debet explicari per ordinem ad talem actum potentiæ viſivæ, dicen-

do, album eſt diſgregativum viſus. Ergo ſimiliter, ſi Ens reale ut ſic, explicatur per ordinem ad actum ut ſic potentiæ intentionalis, etiam tale ens, v. g. Leo, deberet explicari per ordinem ad talem actum potentiæ intentionalis, dicendo, Leo eſt id quod tali modo attingitur à potentia intentionali. Sequela autem eſt inconveniens: Ergo & id ex quo deducitur.

§ I. *Reſpondetur.* Sicut dantur quædam propoſitiones primæ, per ſe notæ, & univerſaliſſimæ, ac proindè indemonſtrabiles per alias priores ac notiores, ne intellectus procedat interminabiliter in diſcurſu: ita dantur termini primi, per ſe noti, & univerſaliſſimi, ac proinde indefinibiles à priori per alios terminos clariores, ne intellectus procedat interminabiliter in definitionibus. Talis terminus eſt *Ens reale*, quod juxta D. Thomam qu: de verit. art. 1. eſt *id quod primò concipit intellectus tanquam notiſſimum, & in quod omnes conceptiones reſolvuntur*, ſeu ut loquitur idem 1. p. q. 5. a. 2. *eſt id quod primò cadit in conceptione intellectûs.*

Ens eſt terminus notiſſim⁹.

Ratio hujus in noſtris principiis eſt clara; quia ut infra patebit, ſolum Ens reale eſt objectum intellectûs. Si verò dicatur etiam concipi à nobis Non ens, ut diſtinctum ab omni ente reali; adhuc tunc concipitur indirectè ens reale, cui opponitur non ens, ſiquidem tunc, Non ens concipitur relatè ad Ens oppoſitum quod excludit & negat. Rurſus quamvis intellectus concipiat Hirco-

:ervum ſecundùm duas naturas invicem deſtructivas, unamquamque tamen ea- n concipit tanquam ſuiipſius non deſtru- /am, ſed potiùs ut habentem aliqua præ- ata ſui conſtitutiva, quod eſt eſſe forma- r Ens. Ergo in omni conceptu intelle- s attingitur Ens. Immo illud ipſum Non : abuſivum, ipſumque Eſſe implicatori-, ſi concipit intellectus, concipit adin- Entis realis, & per ſpecies ipſius: ſi- dem Non ens & Chimera, ſicut nullum ent eſſe, ita nec ſpecies, quæ tamen re- runtur ad cognitionem Non entis & Chi- ræ, utpote non valentium ſeipſis move- ntellectum ad cognitionem ſui. Eſt er- Ens reale ut ſic, primum, notiſſimum ac verſaliſſimum prædicatum, utpote in ni conceptu occurrens intellectui cogno- ndum; atq; eò aliquid eſt notius & uni- ſalius, quò ſæpius occurrit intellectui noſcendum, ut patet inductione.

§ II. Porrò regula eſt univerſalis, ut præ- ata prima & per ſe nota, deſcribantur à ɔis ſolùm à poſteriori in ordine ad a- m experimentalem alicujus potentiæ in- tionalis; & ſi ſint univerſaliſſima, in or- e ad actum potentiæ univerſaliſſimæ. :et hoc inductione: nam ſic, Album, a eſt quid per ſe notum, non tamen uni- ſaliſſimum, explicatur per ordinem ad um experimentalem potentiæ viſivæ n univerſaliſſimæ, dicendo: *Album eſt gregativum viſûs*, & ſimiliter ſonus, per

Termini per ſe noti quomodo explicandi?

ordinem ad actum potentiæ auditivæ: At Verum & Bonum, quia ſunt termini per ſe noti univerſaliſſimi, communiter ex Philoſopho explicantur per ordinem ad experimentales actus potentiarum univerſaliſſimarum, nempe intellectivæ & volitivæ, dicendo: *Verum eſt cognoſcibile*: *Bonum eſt appetibile*, ut infra dicetur d. 3. q. 5. Ratio verò ulterior hujus eſt; quia cum actus experimentalis, ſeipſo, ideòq; maxime nobis innoteſcat; non poteſt à nobis meliùs explicari terminus per ſe notus, quàm oſtendendo proportionem in ratione objecti, & conſonantiam talis termini cum tali actu potentiæ intentionalis, præſertim cum hujuſmodi termini, utpote ſufficienter per ſe noti, explicatio, non intendatur ad manifeſtandam rem ignotam.

Quomodo explicandum ens reale?

§ III. Hinc jam habetur, Ens reale debere à nobis explicari ſolùm à poſteriori per ordinem ad actum experimentalem potentiæ intentionalis univerſaliſſimæ. Qua de cauſa non videtur eſſe ſatis exacta illa vulgaris definitio entis: *Ens eſt id quod opponitur non enti & enti ficto ſeu chimeræ*; nec illa altera: *Ens eſt id quod eſt aptum exiſtere*. Et præterea contra priorem definitionem facit, quòd in illa exprimatur in obliquo ipſum ens ſub conceptu entis; vetat autem Logica, definitum ſub conceptu definiti ingredi definitionem, puta definire hominem per hoc, quod ſit id quod eſt oppoſitum non homini & homini ficto. Contra ſecundam

m verò definitionem illud etiam facit, quod *Exiſtere*, cum ſit realiter identificatum im ente, vel eſt identificatum ut quid inferius, vel ut quid ſuperius, vel ut convertibile reſpectu entis quatenus communis adaequate poſſibile & exiſtens. Cum ergo definitur Ens per hoc quod ſit aptum exiſtere, el definitur ratio ſuperior per hoc quod ſit apta eſſe ſua ſpecies, ac ſi quis dicat: *Animal eſt id quod eſt aptum eſſe homo*: vel e converſo definitur ratio inferior per hoc, quod ſit apta eſſe ſuum genus: vel demum definitur unum ex prædicatis convertibilibus per hoc, quod ſit aptum eſſe ſuum convertibile, ac ſi quis dicat: *Homo eſt id quod eſt aptum eſſe riſibile*: & tamen omnes hujuſmodi definitiones non ſunt exactæ. Indiget ergo majori luce utraq; definitio entis prædicta. Melius & conformiter ad regulam nuper datam, quidam Recentior ita explicat ens reale: *Eſt objectum primum motivum apprehenſionis intellectualis.* Alii vero quos ſuppreſſo nomine impugnat Cardinalis Sfortia Pallavicinus lib. 1. Aſſert. Theol. c. 17. dicunt, ens reale eſſe id, *quod eſt prudenter practicè amabile.* Verum neutra etiam harum definitio ſatisfacit: quia ens reale quà tale, eſt prius & indifferens ut concipiatur à nobis relatè ad hanc vel illam determinatè potentiam intentionalem, & quatenus concipitur ad intellectum, dicitur Verum; quatenus ad voluntatem, dicitur Bonum.

§ IV. Dicendum potius cum P. Anton. Perez Tr. 1. de Deo c. 2. num, 17. Ens reale ut ſic convenienter ſic deſcribi à poſteriori: *Eſt objectum motivum potentiæ intentionalis.* Ratio: quia ex una parte hæc deſcriptio traditur juxta regulam ſupra datam: ex altera parte, omni, ſoli, & neceſſariò convenit enti reali. Omni, quia nullum eſt ens reale, quod per ſe, vel per ſpeciem ſui nequeat movere ad cognitionem ſui ſaltem intellectum, qui eſt potentia in cognoſcendo illimitata. Soli: quia movere potentiam intentionalem pertinet ad genus cauſalitatis, quæ ſoli enti reali convenire poteſt; unde chimeræ & non entia, (ſi dantur diſtincta ab omni ente reali,) ad ſummum poſſunt eſſe objectum potentiæ intentionalis purè terminativum. Quapropter ſicut inter objecta, quæ ſenſu percipiuntur, illa omnia & ſola vocantur entia, quæ ad cognitionem ſui movent ſenſum aliquem; quæ verò non movent, uti ſilentium, tenebræ &c. non vocantur entia realia: ita etiam inter objecta quæ attinguntur per aliquam potentiam intentionalem, illa omnia & ſola dici debent entia realia, quæ movent aliquam potentiam intentionalem; ſicut enim ſe habet ſenſibile ad ſenſum, ita attingibile à potentia intentionali ad potentiam intentionalem. Et ita hanc definitionem Entis approbat me citato, P. Eſparza qu. 4. de virt. moralibus.

§ V. Ex his vero infertur Ens differre

for-

formaliter adæquatè ex parte actûs noſtri cognoſcentis à ſuis Attributis, Uno, Vero, Bono, quorum utpote ſuarum proprietatum eſt radix ratione noſtrâ: licet è converſo ipſa Attributa ab ente differant ſolùm formaliter inadæquatè: quod ſufficit & requiritur ad radicem primam & Univerſaliſſimam, ac proinde analogam & tranſcendentem formaliter ſuas proprietates. Ratio hujus illationis eſt; quia conceptus noſter de Ente, refert ſuum objectum ad potentiam intentionalem ut ſic, ut dictum eſt; conceptus autem de Uno, refert idem objectum, in ordine ad potentiam non dividentem illud in plura, ſeu incipientem numerare; conceptus de Vero, refert idem objectnm in ordine ad intellectum conformem objecto; ac demum conceptus de Bono, in ordine ad voluntatem appetentem; ut conſtat ex traditis à Philoſopho definitionibus Unius, Veri, Boni. Porrò primus conceptus eſt magis confuſus, minusq; determinatus, ac proinde eſt prior, quàm tres reliqui, nec hi tres includuntur clarè & expreſsè in primo conceptu, ſed potiùs primus includitur expreſsè in tribus reliquis; quamvis hi ſuperaddant majorem claritatem & expreſſionem ſupra primum conceptum: eo modo, quo ipſa potentia intentionalis ut ſic (quæ eſt connotatum conceptûs primi de ente) eſt quid magis confuſum minuſq; determinatum, ac prius, quàm potentia diviſiva, intellectiva, & volitiva, (quæ ſunt

Comparatio attributorum entis inter ſe & cum ente.

connotata trium reliquorum conceptuum de Uno, Vero, Bono,) nec hæ tres potentiæ includuntur expreſsè in potentia intentionali ut ſic, ſed potiùs potentia intentionalis includitur expreſsè in illis tribus potentiis, quamvis ſuperaddentibus aliquid ratione noſtrâ, ſupra potentiam intentionalem ut ſic. Sicut ergo potentia intentionalis ut ſic, differt formaliter adæquatè à potentia diviſiva, intellectiva, & volitiva, tanquam non includens ipſas formaliter: tres vero iſtæ potentiæ differunt ſolùm formaliter inadæquatè à potentia intentionali ut ſic, utpote ipſam formaliter includentes, & aliquid plus: ita dicendum de ipſo conceptu Entis comparato cum conceptu Unius, Veri, Boni. Nempe conceptus noſtri de eodem objecto, quoad ſuam differentiam, prioritatem, poſterioritatem & univerſalitatem, ſequuntur conditionem ſuorum connotatorum, in ordine ad quæ exprimunt ſuum objectum directum, de quo infra. Atq; hinc etiam eſt, quod quia prior eſt potentia incipiens numerare, ſeu non dividens, quàm intellectus conformiter cognoſcens, & hic rurſus prior eſt, quàm voluntas appetens, ideò prior etiam eſt conceptus Unius, quàm Veri, & hic rurſus prior eſt quàm conceptus Boni: Ex his ergo manet explicata notio Entis realis, ejuſdemq; comparatio cum ſuis attributis nec non attributorum inter ſe, quæ tamen comparatio magis explicabitur Diſp. 3. q. 5.

Ad

Ad 1. Duplici de cauſa Abſolutum explicatur à nobis, ex imperfecto modo noſtro concipiendi, relativè, & prius per poſterius. Primò, quia propter ſuam maximam, & à ſenſibus remotam, aut etiam propter minimam cognoſcibilitatem, cognoſcitur à nobis imperfectè; & ſic Deus, qui eſt maximè cognoſcibilis, & maximè remotus à ſenſu, explicatur à nobis per ordinem ad creaturas; & materia prima, quæ eſt propè nihil, minimumq; habet ut entitatis, ita & cognoſcibilitatis, explicatur à Philoſopho per ordinem ad formas. Cujus ratio eſt; quia ſicut in viſibilibus objectum in ſe magnum, ſed à viſu remotum: vel non remotum, ſed in ſe exiguum, diſcernitur à nobis ex adjunctione plurium entium, (qua de cauſa à longè ſylva videtur, non autem arbor; & è vicino pulviſculus non videtur, niſi conjunctus aliis pulviſculis:) ita accidit in intelligibilibus, ut objectum propter exceſſum vel defectum cognoſcibilitatis, nonniſi ex adjunctione aliorum entium, (quod fit per conceptum relativum,) à nobis diſcernatur. 2dò etiam idem accidit ex eo, quia abſolutum eſt per ſe notum; tunc enim explicatur à nobis per ordinem ad actum experimentalem nobis notiſſimum, ut dictum eſt. Quia ergo Ens reale ut ſic, eſt quid per ſe notum, eſtq; maximè ſcibile, & à ſenſu maximè remotum, cum ſit maximè univerſale, (univerſalia enim ſunt remota à ſenſibus & maximè ſcibilia,) ideò

Quando abſolutũ explicatur relativè.

ideò explicatur à nobis relativè à poſteriori.

Ad 2. Quamvis Ens includatur formaliter in actu potentiæ intentionalis; tamen hic actus dicitur formaliter ens à conceptu magis diſtincto, & determinato, quàm ſit conceptus Entis ut ſic: nam actus potentiæ intentionalis non ſolum concipitur ut objectum motivum potentiæ intentionalis, (qui eſt proprius conceptus Entis ut ſic,) ſed etiam ſimul concipitur, ut quid effectum & receptum in potentia intentionali. Sufficit autem ut Ens, cum ſit terminus primus & univerſaliſſimus, explicetur in ordine ad aliquid, quod ſupra conceptum proprium Entis, dicat conceptum clariorem. Sicut enim actio Cauſæ primæ & univerſaliſſimæ, ſeu dependentia à cauſa prima, includitur in omnibus actionibus cauſarum ſecundarum; quæ actiones ultra dependentiam à cauſa prima, dicunt ſolùm dependentiam à cauſa ſecunda: ita conceptus termini primi & univerſaliſſimi includitur in omnibus ſuorum inferiorum conceptibus, qui ultra conceptum Entis dicunt ſolùm majorem expreſſionem relatè ad aliquod connotatum ſuum contentum ſub Ente. Et ſicut actio Cauſæ primæ poteſt explicari relatè ad cauſæ ſecundæ actionem in qua includitur: ita & conceptus Entis relatè ad ſuum inferius, in cujus conceptu includitur.

Tranſcendentia Entis.

Ad 3. Poſſunt abſq; circulo vitioſo explicari duo termini, per ſe ipſos mutuò, quan-

dò ſunt per ſeipſos immediatè noti: quia tunc unus terminus explicatur per alium, aliunde, ſcilicet per ſeipſum immediatè notum, nec tales explicationes ordinantur ad manifeſtationem rei ignotæ, ſed ad cognoſcendam unius cum alio proportionem in ratione potentiæ & obiecti. Sic autem accidit in caſu noſtro. Immo etiam in terminis relativis non per ſe notis idem accidit, ut unus per alium, aliunde tamen notum, explicetur; & ita Pater definitur per filium, & hic per patrem; Materia per formam, forma per materiam.

Ad 4. Tam color ut ſic, quàm album, ſunt termini immediatè per ſe noti, & ideò uterq; hic terminus, tàm genericus, quam ſpecificus, definiuntur relatè ad actum noſtrum experimentalem: at Ens ut ſic licet ſit terminus per ſe notus; non tamen ſimiliter omnia inferiora ejus v. g. Homo, Leo, (ſubſtantiæ enim innoteſcunt nobis per ſua accidentia;) & ideò hæc non definiuntur relate ad actus noſtros experimentales, ſicut definitur ipſum Ens ut ſic.

QVÆSTIO II.

Vtrum ab intellectu poſſit cognoſci obiectum diſtinctum ab omni ente reali.

VIdetur quod ſic ut plures opinantur, quos citat & ſequitur Comptonus diſp. 3.

3. Logicâ ſect. 2. 1. quia non poteſt explicari quodnam Ens reale concipiatur, dum concipiuntur hi termini: Hircocervus, Identitas hirci cum cervo, Alter DEus, Verbum eſſe creatùram, Spiritus Sanctꝰ non procedens à Filio, Negatio DEi, Simultas contradictoriorum, Impoſſibile, aliiq; ſimiles, de quibus cum ſæpe diſputetur; oportet eos ex utraq; parte à diſputantibus præcognoſci. Nec poteſt dici, Identitatem hirci cum cervo eſſe realem: nam identitas inter hircum & cervum, & non unit ſua extrema, ut omnes fatentur; & unit, quia eſt identitas hirci cum cervo, concepta à nobis ut quid connexum cum ipſis: adeoq; eſt implicatoria, & diſtincta ab omni ente reali ac ſupranumeraria.

2. Quando dicit Arrianus: *Verbum eſt creatura*, non ſolùm concipit Verbum & creaturam, ſed etiam aliquod objectum ſignificatum per Tò *Eſt*, quòd objectum eſt utiq; identitas chimerica. Concipit ergo aliquid implicatorium ex parte objecti. Probatur antecedens: tum quia alioquin præfata propoſitio Arriana, non differret objecto ab hac contradictoria Catholica; *Verbum non eſt creatura*, niſi dicatur, in affirmativa, per Tò *Eſt*, ſignificari identitatem fictam objectivam, in negativa verò, per Tò *Non eſt*, ſignificari diſtinctionem objectivam veram: & tamen Philoſophus Cap. de Oppoſit. docet, propoſitiones contradictorias differre objecto, eſtq; commune axioma, *Actus ſpecifi-*

ficari ab objectis : Tum quia in omni pro-
ſitione affirmativa, debet concipi moti-
um & determinativum ad affirmandum;
c autem non eſt aliud, niſi ipſa identitas
nificata per copulam, ſive vera, ſive ficta.
3. Ex his contradictoriis propoſitioni-
s: *Identitas inter Deum & creaturam po-
t concipi : Identitas inter Deum & creatu-
m non poteſt concipi*; ſiquidem prior affir-
ativa dicitur eſſe falſa; jam ſecunda ne-
tiva erit vera, juxta canones Logicos.
portet ergo ut in utraq; propoſitione non
niat ex parte ſubjecti Identitas realis: ali-
quin è contra, prior affirmativa erit vera,
erum enim eſt, quòd Identitas realis poſ-
concipi,) poſterior autem negativa erit
ſa, (falſum enim eſt quod Identitas rea-
s non poſſit concipi.) Poteſt ergo Iden-
as chimerica concipi. Idem argumentum
alio exemplo ſic formatur: Ex his pro-
ſitionibus: *Deus creatus eſt poſſibilis: Deus
atus non eſt poſſibilis*; ut affirmativa ſit fal-
utq; negativa ſit vera, oportet ut in utra-
e pro ſubjecto veniat Deus chimericus:
oquin vera erit affirmativa, & falſa nega-
a, quia verum eſt quòd Deus realis ſit
ſſibilis, & falſum, quòd non ſit poſſibilis.
teſt igitur concipi Deus chimericus.
4. Qui negat aliquid, debet cognoſcere id
òd negat. Ergo pariter negans cognoſci
parte objecti impoſſibile ſeu Ens ratio-
, debet illud eo ipſo cognoſcere ex par-
objecti, & ſic falſificat ſuam propoſitio-
nem.

nem. Et hoc argumentum à quibuſdam R. R. reputatur eſſe Achilles pro chimeris.

5. Cujuſcunque termini poteſt concipi contradictorium, tanquam diſtinctum ab ipſo. Ergo etiam contradictorium entis realis ut ſic, debet concipi tanquam diſtinctum ab ipſo. Ergo ulteriùs aliquid diſtinctum ab ente reali ut ſic, ſeu quod idem eſt, aliquid diſtinctum ab omni ente reali, poteſt concipi, nempe contradictorium entis realis ut ſic. Et quia hoc contradictorium entis realis ut ſic, eſt non ens reale, deſtruens omnia entia realia, etiam ipſum ens neceſſarium, nempe Deum, quod non ens eſt impoſſibile, ut patet; ſequitur quòd aliquod impoſſibile poſſit concipi ut diſtinctum ab omni ente reali.

6. Poteſt homo ex errore velle eſſe Angelus, vel deſiderare ſimultatem amoris cum odio: ſed tunc vellet identitatem ſui cum Angelo, vel ſimultatem amoris cum odio, quod implicat: Ergo præcognoſceret id quod implicat; quia *nihil volitum, quin præcognitum.*

7. Si ens rationis nihil aliud eſſet quàm ens reale, vel entia realia indebito modo cognita; ſequeretur chimeram, v. g. Alterum Deum, dari à parte rei: illud enim datur à parte rei, cujus omnes partes dantur à parte rei; cùm totum nihil ſit præter ſuas partes: atqui admiſsâ ſuppoſitione, *Alter Deus* diceret tanquam partes ſui conſtitutivas, Alteritatem realem creatam, Divinita-

nitatem veram, & cognitionem falſam conjungentem hæc extrema; quæ omnia dantur à parte rei: Ergo daretur Alter Deus à parte rei.

8. Rurſus ſequeretur, malam eſſe illam receptam communiter definitionem Entis rationis, quòd ſit, *Id quod habet eſſe tantùm objectivè in intellectu.* Cujus ſequelæ ratio eſt: quia tam Hircus, quàm Cervus, non tantùm dantur objectivè in noſtro intellectu, ſed dantur etiam à parte rei, vel in ſe, vel in potentia activa ſuæ cauſæ; jam verò cognitio falſa, quam ſolùm Hircocervus diceret ſupra Hircum & Cervum, non datur in intellectu objectivè, ſed ſubjectivè & effectivè.

§ I. *Reſpondetur.* Dicendum cum frequenter recepta his temporibus R. R noſtrorum ſententia, Omne cognoſcibile eſſe poſſibile, nec dari ullum objectum intellectùs diſtinctum ab omni ente reali. Ita P. Arrubal T. 1. ad qu. 4. d. 34. c. 4. P. Erize 1. p. d. 8. c. 1. Eminentiſſimus Sfortia lib. 5. de Incarn. c. 1. P. Anton. Perez. (qui in poſthumo de Deo opere, ob ſingulare acumen ingenii, meritò Theologi Mirabilis nomen obtinuit) de ſcient. Dei diſp. 5. c. 3. ac meus doctiſſimus in Theologia Profeſſor P. Martinus de Eſparza qu. 16. de Deo. Citantur etiam pro hac ſententia à Petro de Comitibus. lib. 3. de Ent. rat. diſp. 2. art. 1. inter alios plures, Stephanus Spinula, Philippus Miller, Daniel Hainau, Oddo de Co-

Omne cognoſcibile eſſe poſſibile qui doceant.

mitibus, Daniel Bartolus, Hieronymus Savignanus, Franciſcus Gentilis, quorum aliqui non ita pridem in Romano Collegio erant Profeſſores. Subſcribunt vero iiſdem inter alios qui nunc ibi legunt P. Nicolaus Pallavicinus & P. Dominicus de Marinis, ambo magni ingenii Profeſſores: quibus addo inſuper P. Gieraldinum par. 1. qq. Philoſophicarum nuper Viennæ in Auſtria impreſſarum qu. 23. Ex Antiquiorib⁹ hanc ſententiam docet Mairon: quodl. 7. Conſentit Bernard: Mirandulan⁹ in expoſ. prædic: & Valeſius 10. Philoſ. contr: Iiſdem ſubſcribit ex parte P. Lynceus lib. 4. Met. Tr. 1. c. 1. num. 4. quatenus dicit: *Ens rationis non eſt adæquatè diſtinctum à complexione plurium entium realium, ſed eſt ex iis aggregatum, & ex actu intellectus falſo applicante iis veram ac realem identitatem, quæ tamen inter ea reperiri nequit.* Et pro hac ſententia dicit ſtare Suarium, & Hurtad. diſ. 19. Met. ſe. 1. ac majorem melioremq; Philoſophorum partem. Sed quod caput rei eſt, idem videtur ſenſiſſe D. Thom. nam 1. p. q. 25. ar. 1. explicans dictum illud Archangeli ad B. Virginem: *Non erit impoſſibile apud Deum omne verbum*; ita dicit S. Doctor.: *Id quod contradictionem implicat, Verbum eſſe non poteſt, quia nullus intellectus poteſt illud concipere.* Et 1. con. Gen. c. 84. *Quæ ſunt impoſſibilia non cadunt in intellectu.* Et qu. de poten. ar. 3. ad 1. *Id quod eſt affirmationem & negationem eſſe ſimul veram, non poteſt mente* con-

concipi, & per conſequens, nec aliquid eorum, in quibus hoc includitur, id eſt, nec objectum implicatorium, in quo utiq; includitur affirmationem & negationem ſimul eſſe veram.

§ II. Ratio prima aſſertionis eſt: quia ſicut objectum adæquatum potentiæ viſivæ, quod illam circumſcribit, comprehenditq; omnes ejus actus, & ultra quod non extenditur ullus actus potentiæ viſivæ, etiam inſincerus, eſt color, ſeu id quod participat rationem coloris; ita ut color ſit objectum formale motivum, id verò quod eſt coloratum ſit objectum materiale & terminativum; idemq; eſt dicendum de Sono reſpectu potentiæ auditivæ, idem de Bono reſpectu volitivæ, ac de aliis potentiarum objectis: ita objectum adæquatum intellectûs, omnes actus ipſiûs etiam falſos circumſcribens, eſt Verum, ſeu id quod participat rationem veri; ita ut objectum formale motivum, ſit veritas, id verò quod participat rationem veri, ſit objectum materiale & terminativum. Nempe cùm objectum formale ſit ratio ob quam ab aliqua potentia attingitur objectum materiale; debet aliquo modo includi objectum formale in materiali. Hoc poſito principio, ſubſumo minorem: Atqui objectum, quod per Adverſarios eſt diſtinctum ab omni ente reali, nec eſt verum, nec participat quidquam de veritate: conſtat enim ex terminis repugnantibus & mutuò ſe falſificantibus, ac deſtruentibus intentionaliter, ſcilicet ex eſſe & non eſſe; ex

Objectum adæquatũ intellectũ eſt verum

qua mutua deſtructione intentionali, uterq; terminus remanet intentionaliter deſtructus, ſicut ex mutua phyſica duorum deſtructione, utrumq; remanet phyſice deſtructum. Ergo id quod eſt diſtinctum ab omni ente poſſibili non poteſt eſſe objectum formale aut etiam materiale intellectûs; ideoque nullo modo cognoſci poteſt, cùm omne aliquo modo cognoſcibile, adæquatè dividatur in objectum formale aut materiale intellectûs. Nec valet dicere; objectum materiale intellectûs poſſe eſſe verum fictum; non ſecus ac bonum apparens voluntatis. Contra enim eſt, quia veritas tua ficta, eſt nulla veritas, ſiquidem veritas hæc conſiſtit in ipſo verificari duo contradictoria; at verificari duo contradictoria, eſt neutrum verificari, cùm veritas unius contradictorii deſtruatur per alterum, puta eſſe hircum per eſſe cervum ſeu per non eſſe hircum, & eſſe cervum per eſſe hircum ſeu per non eſſe cervum. Hinc impugnatur etiam reſponſio P. Sylveſtri Mauri qu. 42. L. dicentis, impoſſibile habere prædictam veritatem non abſolute, ſed ex ſuppoſitione ſi exiſteret. Impugnatur inquam, nam eſſe hircum & non eſſe hircum, etiam ex ſuppoſitione ſuæ exiſtentiæ non amitterent ſuum virus ſibi eſſentiale mutuò ſe interimendi & falſificandi, ac proinde etiam in tali ſuppoſitione neutrum extremum determinatè ſumptum remaneret verum: immo nec ipſum complexum ex utraq; parte, remaneret verum;

At Objectū chimericū nullā dicit veritatem.

rum, quia omnibus partibus deſtructis, neceſſe eſt Totum, quod nihil eſt præter ſuas partes, pariter deſtrui. Fateor quidem Verum fictum cognoſci poſſe, ſicut quandoq; amatur Bonum apparens; ſed hoc ipſo argumento probo, Verum fictum, eſſe ens reale falsò cognitum, ut verum; ſicut etiam Bonum apparens, eſt ens reale falsò cognitum ut bonum.

§ III. Secunda ratio pro eadem aſſertione ſit. Illud objectum implicatorium Adverſariorum cùm non ſit ante omnem cognitionem; (hoc ipſo enim eſſet reale:) vel reſultat quaſi effectivè ex cognitione fingente; vel conſtituitur per ipſam cognitionem fingentem tanquam per formam extrinſecam. Non primum, quia eſſe objectum ſeu eſſe cognitum, eſt denominatio extrinſeca à cognitione, abſq; ullo ente diminuto reſultante ex cognitione, ut communiter noſtri docent contra Scotiſtas. Profectò ſi cognitio confuſa, aut conditionata, aut diſiunctiva, nihil efficit vel quaſi efficit ex parte ſui objecti, ſed ſolùm ſeipſam addendo, objectum extrinſecè denominat confuſum, aut conditionatum, aut diſiunctivum; cur etiam eodem modo cognitio fingens ſuum objectum non denominabit fictum? unde enim eſt iſta major activitas vel quaſi activitas cognitionis fingentis reſpectu ſui objecti, quàm confuſæ vel conditionatæ reſpectu ſui? Si verò dicatur objectum per cognitionem fingentem extrin-

Objectum fictum nō reſultat ex cognitione fingente.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ſecè denominari fictum, contra eſt: quia objectum implicatorium, non ſolùm dicitur fictum præcisè, ſed etiam dicitur tale fictum, v. g. dicitur: *Identitas Dei cum creatura, Alteritas Dei ficta*: atqui per cognitionem fingentem, objectum non conſtituitur tale, puta Identitas vel Alteritas, licet cognoſcatur ut tale; ſiquidem cognitio objectum non facit tale, ſed ſolùm termino tali ſuperaddit ſeipſam præcisè, & ſic terminum aliunde talem, facit extrinſecè cognitum. Ergo illud objectum fictum, præter cognitionem fingentem à qua dicitur fictum, importat aliquid contradiſtinctum ab omni eſſe intentionali, à quo denominetur tale, puta Identitas vel Alteritas, adeoq; importat aliquid reale, cùm omne oppoſitum intentionali, ſit reale. Et certè ſi objectum cognitionis fingentis, nec habet actu eſſe, nec habere poteſt, præter illud quod recipit formaliter à cognitione fingente; jam denominatio ficti, ſolam dicet formam extrinſecam, & nullum dicet ſubjectum denominationis, quod habeat actu vel potentiâ aliquod eſſe, præter id quod recipit à forma extrinſeca: & ſic forma extrinſeca nihil denominabit niſi ſeipſam, ſibiq; ipſi erit extrinſeca. Sequetur deinde illud etiam inconveniens, quòd nullâ ſuppoſitâ diverſitate actuali vel poſſibili in ſubjectis, eadem forma extrinſeca, id eſt, eadem cognitio fingens, unum ſubjectum denominabit Identitatem Dei cum creatura; alterum verò,

Eſt aliquid diſtinctũ ab eſſe intentionali & ideô reale.

Ne-

Negationem Dei, tertium, Hircocervum, & ſic de reliquis chimeris; quod quis non videt eſſe abſurdum?

§ IV. Tertia ratio. Dum concipitur Identitas hirci cum cervo; vel concipitur ut quid ſuperadditum objectivè hirco & cervo realibus, vel ut non ſic ſuperadditum? ſi hoc ſecundum dicis? Ergò objectivè ſolùm concipitur dualitas realis hirci & cervi realium, quod mihi ſatis eſt. Si verò affirmas primum? Ergo tunc nulla inter hircum & cervum concipitur identitas. Nam de ratione Identitatis ut ſic eſt, ut non concipiatur tanquam aliquid objectivè ſuperadditum extremis, quorum dicitur eſſe identitas. Neq; verò id ſolùm eſt de ratione Identitatis realis & non chimericæ. Sicut enim ſe habet Identitas realis ad extrema ſecum realiter identificata: ita ſe habet in cognoſci Identitas chimerica ad extrema realiter inter ſe diſtincta, quibus proinde chimericè attribuitur. Sicut ergo Identitas realis extremorum non concipitur ut quid objectivè ſuperadditum reſpectu ſuorum extremorum identificatorum inter ſe; ita nec Identitas chimerica reſpectu ſuorum inter ſe diſtinctorum. Et ratio eſt, quia Identitas chimerica concipitur adinſtar identitatis realis, & per hujus ſpecies, cum hoc ſolo diſcrimine, quia ibi concipitur vbi ei locus eſſe nequit, nempe inter extrema realiter diſtincta. Hoc argumentum in noſtra ſententia ſolvitur, dicendo, Identitatem inter

Identitas hirci & cervi concipitur ut quid non ſuperadditum ipſis & ſic ut quid reale.

ter hircum & cervum eatenùs concipi tanquam quid non ſuperadditum ipſis objectivè, quatenùs aliqua vera realis aliquorum extremorum inter ſe realiter identificatorum identitas, verè iiſdem objective non ſuperaddita, falsò applicatur intentionaliter hirco & cervo, ſeu extremis realiter diſtinctis, affirmaturq; falsò non eſſe illis objectivè ſuperaddita; quæ proinde Identitas reſpectu ſuorum extremorum inter ſe identificatorum, eſt in ſe, & intrinſecè, & ſecundùm veritatem identitas; reſpectu autem hirci & cervi dicitur identitas extrinſecè, & ſecundùm falſam intellectûs applicationem; quod ipſum clariùs patebit ex dicendis infra.

§ V. Tandem, ut alias rationes omittam brevitatis cauſa, ſic argumentor. Propoſitiones contradictoriæ v g. hæ: *Homo eſt Leo: Homo non eſt Leo*, ſunt de eodem adæquatè objecto terminativo; alias non idem, vel non de eodem, una negaret, quod altera affirmat; quod eſt contra leges Dialecticæ. Atqui ſecunda vera propoſitio, eſt de objecto terminativo realij, nempe de homine & leone realibus: Ergo & prima fingens. Ergo propoſitio fingens non attingit quidquam impoſſibile ex parte objecti terminativi, conſequenter propoſitio fingens à non fingente non differt objecto terminativo, ſed ex modo tendendi, quatenus una procedit modo compoſitivo, denotato per particulam *Eſt*; altera verò circa idem adæqua-

tè objectum terminativum procedit modo diviſivo, denotato per particulam *Non eſt*: eo modo, quo propoſitio copulativa & diſjunctiva, v. g. hæ: *Petrus & Paulus currit*: *Petrus vel Paulus currit*, non differunt objecto, ſed modo tendendi, ſignificato per Tò *Et*, & per Tò vel. Et hinc eſt quòd per Philoſophum, verbum *Eſt* dicitur *nota propoſitionis*, id eſt affirmationis, communiterq; vocatur *Copula*, id eſt unio intentionalis extremorum. Quapropter non ſubſiſtit illa reſponſio: propoſitionum contradictoriarum eſſe idem objectum ex parte ſubjecti & prædicati, non autem ex parte copulæ: non ſubſiſtit inquam, quia ut modo dicebam, copula *Eſt* non ſignificat objectum, ſed unionem intentionalem, ſeu actum intellectûs componentem extrema. Et ratio hujus eſt, quia cum omnis propoſitio nihil aliud faciat, niſi componat aut dividat intentionaliter ſeipsâ objectum ſignificatum ex parte ſubjecti, cum vel ab objecto ex parte prædicati ſignificato; præter hæc duo objecta, nequit in propoſitione tertium objectum ſignificari diſtinctum ab ipſa propoſitione. Confirmatur hoc ampliùs: quia ſi hæc propoſitio, *Homo non eſt Leo*, attingit objectivam negationem identitatis, per Tò *Non eſt*, ſignificatam; quæro vel illam affirmat, vel negat? Si primum? Ergo prædicta propoſitio erit affirmativa, conſequenter non erit contradictoria huic *Homo eſt Leo*. Si ſecundum? Ergo dicta propoſitio eſt falſa; nega-

Propoſitio ſinges & nō ſingens ſunt circa idē objectum terminativum.

Copula in propoſitione quid ſignificat?

bit enim negationem identitatis inter hominem & Leonem, quæ negatio identitatis ſeu diſtinctio revera datur, ac proinde hæc contradictoria ipſius, *Homo eſt Leo*, erit vera, quod eſt falſum. Vide ſi placet, quæ diximus, has rationes inſtaurando in qq. de Deo diſ. 4. qu. 4. dub. incid. pag. 212.

Quid ſit Ens rationis?

§ VI. Ob hæc ergo dicendum eſt, Ens rationis ſeu Ens fictum, chimericum, ac impoſſibile materialiter ſumptum, (de Impoſſibili enim formaliter ſumpto dicetur qu. ſeq. pun. 4.) nihil aliud eſſe, quàm Ens reale vel entia realia, quatenùs ſubſtantia cognitioni neceſſariò falſæ & inverificabili, componenti ſcilicet diviſa, vel dividenti identificata: ita ut Ens rationis ſit denominatio extrinſeca, quæ pro materiali & in recto dicat Ens reale vel entia realia; pro formali verò & in obliquo cognitionem neceſſariò falſam, tanquam formam extrinſecam, à qua id, quod ſecundùm ſe, intrinſece ac objectivè eſt reale & poſſibile; ut ſubſtans illi cognitioni denominetur extrinſece non reale, ens rationis, & impoſſibile materialiter, quia ſcilicet tali modo quali enuntiatur per illam cognitionem falſam, nec datur à parte rei, nec dari poteſt ullius virtute Agentis, ſed ſolùm datur in intellectu. Itaq; monſtrum illud formidabile *Hircocervus*, nihil aliud eſt, quam hircus & cervus reales, quatenùs ſubſtant alicui judicio affirmanti hircum de cervo. *Alter Deus*, eſt aliqua vagè alteritas realis reperta inter cre-

atu-

aturas, quatenus per falſam affirmationem applicata vero Deo. *Identitas hirci cum cervo* eſt aliqua vage identitas duarum aliquarum formalitatum realium, quæ ſecundùm ſe & realiter illis convenit; quatenùs tamen per cognitionem falſam applicatur hirco & cervo, dicitur extrinſecè eſſe identitas hirci & cervi, ac ficta. *Spiritus Sanctus non procedens à Filio*, eſt verus Spiritus ſanctus, quatenus per falſum judicium Græcorum dividitur intentionaliter à vera tertia Perſona Trinitatis, procedente etiam à Filio Dei. Et ſic diſcurrendum de omnibus aliis monſtris. Atq; hoc videtur docere Philoſoph^9 dum ait 5. met. tex. 17. *Impoſſibile eſt id quod eſt neceſſariò falſum, & cujus contrarium neceſſariò verum eſt* Et 1. de Cælo tex. 111. *Impoſſibile*, inquit, *ſimpliciter dicitur, quia non eſt dicere, quod factum erit.* Nempe *Falſum* ſeu *non verum dicere*, cum non ſit in rebus, ut docet idem Philoſoph^9, & ex eo D. Thomas, nihil aliud eſt, niſi denominatio extrinſeca cadens à cognitione falſa in objectum reale. Quod ipſum ultra jam dicta confirmatur & declaratur paritate objecti confuſi. Sicut enim hoc objectum confuſum, *Animal ut ſic*, nihil aliud eſt, niſi entia vera & realia, quæ extrinſecè dicuntur eſſe quid confuſum à cognitione confuſa, cui ſubſtant: ita pariter & hoc objectum fictum ſeu falſum, *Hircocervus*, nihil aliud eſt, niſi entia realia, quæ extrinſecè denominantur eſſe quid fictum & falſum, à cognitione fingente & falſa, cui ſubſtant.

Falſum eſt denominatio extrinſeca à cognitione falſa.

§ VII.

Quæ propoſitio eſt falſa?

§ VII. Hinc ulteriùs infertur, non ideò aliquam propoſitionem eſſe falſam, quia ejus objectum non datur à parte rei, nec ideò veram, quia ejus objectum datur à parte rei; omnium enim propoſitionum objectum ſecundùm ſe datur à parte rei actu vel poſſibiliter: ſed potiùs ideò aliqua propoſitio eſt falſa, quia ejus objectum non datur à parte rei tali modo, quali enuntiatur per ipſam, ſeu quia tendit modò indebito in ſuum objectum, eſtq; illi difformis; ſecùs autem vera.

Per quem actū fiat & cognoſcatur Ens rationis?

§ VIII. Infertur rurſus, Ens rationis fieri per actum indebito modo tendentem in objecta realia, qui actus regulariter loquendo, eſt directus; cognoſci verò ſemper per actum reflexum tendentem in objecta realia ſecundo intentionaliter ſumpta, ſeu ut denominata ab aliqua cognitione eſſentialiter falſa. Hinc Deus non facit Ens rationis, quia non habet modum indebitum tendendi in objectum; cognoſcit tamen Ens rationis, quia cognoſcit entia realia ut ſubſtantia fictionibus creatis actualibus & poſſibilibus. Cæterùm Deus cognoſcens Ens rationis, liberatur in noſtra ſententia ab omni fictione etiam apprehenſiva, quæ eſt aliquis defectus modi cognoſcendi perfectioris, id eſt nequidem apprehenſivè fingentis. Nempe Deus, juxta nos, ſolùm cognoſcit reflexè noſtras de objectis realibus fictiones, diſſentiendo ipſis: at in ſententia oppoſita, Deus cognoſcendo comprehenſivè noſtras fictiones,

An Deus faciat vel cognoſcat Ens rationis?

nes, deberet etiam cognoſcere objectum ipſarum, quatenus ab ipſis repræſentatum; quod cum per Oppoſitos ſit objectum diſtinctum ab omni ente reali, apprehenſum per modum entis realis; deberet etiam Deus apprehendere illud ſimili modo; quod eſt fingere apprehenſive.

§ IX. Infertur tandem, Ens rationis, quod per Philoſophum (ut dixi) eſt neceſſario falſum, ſimpliciter loquendo fieri per ſecundam operationem intellectus, quia abſolute loquendo falſitas conſiſtit in enuntiatione, ſecus dicente eſſe objectum, quam ſit à parte rei; unde ſolum occaſionaliter & diſpoſitive fit ens rationis per primam apprehenſionem. Multo vero minus fit per ſenſum, quia hic licet ſecus aliquando percipiat objectum, quam ſit defacto, non tamen quam poſſit eſſe depotentia abſoluta, & ſic non concipit objectum per actum eſſentialiter falſum: quod verum eſt etiam de Imaginatione, quæ ſolum conjungit inter ſe quaſdam figuras externas rerum diſtinctarum, etiam penicillo exprimibiles, nec pertingit ad eſſentias rerum. An vero Ens rationis fiat per voluntatem? quæſtio eſt de nomine. Communiter negatur, quia voluntas cum feratur in præcognitum, ſupponit Ens rationis factum ab intellectu, ſi quando fertur in impoſſibile. Atque ex his patet quid ſit Ens rationis, à qua potentia, & per qualem actum fiat, ac etiam per qualem cognoſcatur.

Fit ſolum ab intellectu per ſecundam operationem.

Ad

Ad 1. ergo. Conſtat ex dictis omnes terminos chimericos de quibus ſæpe diſputamus, eſſe ſecundo-intentionales, & per eos ſemper ſignificari aliqua Entia realia, ut ſubſtantia alicui judicio eſſentialiter falſo, quæ proinde entia realia, ut tali judicio ſubſtantia, ab altero diſputantium per actum reflexum affirmantur, ab altero negantur dari à parte rei, tali modo, quali exprimuntur per illud judicium. Quia vero Ly *Impoſſibile*, eſt quid commune ad omnes terminos chimericos, ideò ſignificat omne illud objectum reale, quod ſubſtat cognitioni eſſentialiter falſæ, non potens à parte rei exiſtere tali modo, quali per ipſam enuntiatur. Quid autem reale in particulari importent termini chimerici in particulari ſumpti? dictum etiam § 6; & nominatim dictum ibi eſt, per Identitatem hirci cum cervo ſignificari aliquam realem indeterminatè & confusè identitatem duarum aliquarum formalitatum ſecum identificatarum, quatenùs falsò applicatam intentionaliter hirco & cervo. Talis porrò Identitas ſecundùm ſe, objectivè, & intrinſecè ſpectata, non unit hircum cum cervo; unit vero ſolùm extrinſecè, & ratione indebitæ mentalis applicationis, ratione cujus etiam dicitur Identitas hirci cum cervo. Quòd autem non uniat intrinſecè & ſecundùm ſe hircum cum cervo, uniat verò extrinſecè, & ut applicata ipſis intentionaliter, nihil obeſt quominùs ſit realis, ut patet: nulla enim in hoc eſt implicantia in objecto. Sed

Sed inſtabis adhuc: Qui dicendo v. g. *Non datur alter Deus*, negat alteritatem realem creatam & Divinitatem exiſtere tali modo, quali repræſentatur per judicium falſum compoſitiuum horum terminorum; debet adhuc cognoſcere illum modum exiſtendi, quem negat: hic autem modus exiſtendi eſt Chimericus. Ergo adhuc cognoſcit aliquid Chimericum. Reſpondeo ſimiliter: quòd talis cognoſcit confusè aliquem modum exiſtendi realem conformem alicui affirmationi veræ, illumq; negat de Alteritate creata reali & Divinitate vera, utpote oppoſito modo, exiſtentibus; qui proinde modus exiſtendi eſt Chimericus non ſecundùm ſe & objectivè, ſed quatenùs per affirmationem falſam applicatur Alteritati creatæ & Divinitati reali.

Ad 2. Dictum jam eſt, & infra dicetur Diſp. 2. q. 2. ad 2. propoſitiones contradictorias, non differre objecto terminativo, ſed modo tendendi. Differunt etiam ratione formali ſub qua objectiva, quæ unius propoſitionis eſt affirmabilitas; alterius, negabilitas. Nec plùs vult illud axioma, *Actus ſpecificantur ab objectis*, ut patet in actu voluntatis, comparato cum actu intellectûs, ſæpè tendentibus in idem objectum, & in eandem rationem formalem Quæ. Philoſoph⁹ etiam ſolùm vult oppoſitorum actuum eſſe oppoſita objecta verificativa, non autem terminativa, ut dicetur loco citato. Concedi verò nullatenùs debet, determinativum & mo-

Actus oppoſiti quo differunt?

Quod ſit motivum

ad aſſenſum? motivum ad aſſenſum in propoſitionibus affirmativis, eſſe identitatem extremorum apprehenſam; cùm poſt illam apprehenſam ſæpè ſequatur diſſenſus. Certè identitas ficta, quæ nec eſt, nec eſſe poteſt, non poteſt exercere vim motivam, cùm hæc ſit vis cauſativa actûs, ſoli enti reali conveniens: *Quod autem non eſt, nullius eſt cauſa*, ut ait S. Thomas 3. cont. Gent. c. 10. Potiùs ergo motivum ad aſſenſum, vel ſunt ipſi termini propoſitionis, apprehenſi, ſi aſſenſus ſit immediatus, & per ſe notus; vel eſt aliquod medium, ex quo infertur propoſitio, ſi aſſenſus eſt mediatus & deductus.

Ad 3. Dicendum ex propoſitionibus illis contradictoriis, utriuſq; ſubjectum eſſe, aliquam indeterminatè ſeu confusè identitatem realem, non quidem ſecundùm ſe, ſed ut falsò applicatam intentionaliter Deo vero & creaturæ reali, atq; de hujuſmodi identitate falsò affirmari, verè autem negari, quòd ſit cognoſcibilis, ſcilicet tanquam Terminus primæ intentionis, cùm potiùs ſolùm cognoſcatur reflexè, ut Terminus ſecundæ intentionis; ſiquidem nihil aliud eſt, quàm ens reale indebito modo, cognitum. Similiter de aliis illis propoſitionibus dicendum, eas reflexè procedere de Deo & creatura realibus, ut cunjunctis intentionaliter per aliquod judicium eſſentialiter falſum, ideoq; ex illis ſolam affirmativam propoſitionem eſſe falſam; falſum enim eſt, quòd Deus & creatura reales ſint poſſibiles

tali

tali modo, quali modo cognoſcuntur per judicium directum compoſitivum iſtorum terminorum, ſupra quod judicium reflectit ſe hæc propoſitio, *DEVS creatur eſt poſſibilis.*

Ad 4. Eodem plane telo configitur Achilles ille R.R. habetq; contra ſe plures inſtantias. Quæro enim: dum quis hoc dicit, *Incognoſcibile omnibus modis, tam directè quàm reflexè, tam exercitè quàm ſignatè &c. non poteſt cognoſci*, cognoſcitne illud quod negat? Item qui dicit: *Binarium diſtinctum ab omni ente reali, ab omni ente rationis, & nihilo, non poteſt cognoſci*, quæro: cognoſcitne, quod negat cognoſci? Quidquid dixeris, tuum Achillem ſternis, ſterno & ego hac unicâ diſtinctione. Qui aliquid negat, illud cognoſcit vel directè vel reflexè, concedo quod dicitur: cognoſcit ſemper directè, nego quod dicitur. Itaque dum quis negat poſſe ex parte obiecti cognoſci Ens rationis, reflectit ſe ſupra propoſitionem Adverſariorum, ſeparantem intentionaliter ab obiecto cognoſcibili poſſibilitatem & realitatem, negatq; reflexe, cognoſcibile & poſſibile tali modo ſe habere, quali modo repræſentantur per propoſitionem Adverſariorum, quæ dividit intentionaliter iſtos terminos, in re indiviſos; cum omne cognoſcibile ſit poſſibile & reale, ut probatum eſt. Porrò talis reflexa cognitio Entis rationis, ſolùm attingit objectum reale, & ſufficienter negat Ens rationis poſſe cognoſci ex parte objecti, quia contradicit ſententiæ Adverſariorum, ut patet.

Incognoſcibile quomodo cognoſcitur?

Ad 5. Quoniam termini contradictorij debent procedere de eodem objecto, juxta illud D. Thomæ 1. p. q. 17. a. 1. *Oppoſita ſunt circa idem:* ideo terminus alteri contradictoriè oppoſitus,

non poteſt cognoſci ut diſtinctus ab ipſo ex parte objecti terminativi (quidquid ſit de verificativo, de quo infra diſp. 2. q. 2. ad 2.) ſed tantùm ex parte actûs; quatenus ſcilicet in terminis contradictoriis apprehenditur idem objectum terminativum, relatè ad judicia oppoſita, nempe ad affirmativum & negativum, tanquam ad ſua connotata. Quapropter terminus contradictoriè oppoſitus Enti reali ut ſic, qui eſt *Non ens reale ut ſic*, ſeu non eſſe omnium entium realium, non debet cognoſci ut quid diſtinctum ex parte obiecti terminativi (multò minùs ex parte verificativi, quod nullum habet) ab Ente reali ut ſic, ſed ſolùm tanquam aliquid diſtinctum ex parte actûs, quem connotat; quatenus ſcilicet *Non ens reale ut ſic*, eſt omne ens reale, ut connotat judicium negativum, quod tendat in omne Ens reale per modum fugæ; oppoſitum autem judicium connotat Ens reale ut ſic; tametſi utriuſq; conceptûs oppoſiti idem ſit obiectum. Nempe hi termini, etiam in prima apprehenſione, concipiuntur relatè ad oppoſita judicia tanquam ad ſua connotata. Quia verò idem Non eſſe omnium entium realium etiam Dei, contradictoriè oppoſitum Enti reali ut ſic, eſt chimera, ideò neque hæc chimera debet cognoſci ut quid diſtinctum ab omni Ente reali.

Quid ſit Non ens ut ſic?

Ex hac autem occaſione notandum eſt, quod chimera contradictoriè oppoſita Enti reali ut ſic, non ſit Eſſe & Non eſſe; quia remoto uno contradictorio ponitur aliud, remotis autem omnibus entibus realibus, quæ dicit Ens reale ut ſic, non poneretur eſſe & non eſſe, ſed tantum poneretur non eſſe omnium entium: Ergo hoc præcisè Non eſſe, eſt chimera contradictoriè oppoſita Enti reali ut ſic.

Quæ ſit Chimera contradictoriè oppoſita Enti ut ſic.

Ad

Ad 6. Sicut cum quis videns aurichalcum, amat illud ut aurum, amat revera aurichalcum, quod videt, & de quo interim falsò prædicat, quòd ſit aurum: ita cum quis per errorem appetit eſſe Angelus, appetit naturam Angelicam realem, de qua falsò judicat, quòd poſſit eſſe natura propria hominis. Idem dic de ſimilibus exemplis.

Ad 7. Ens rationis materialiter & obiectivè ſumptum, ſecundum ſe, datur actu vel potentiâ extra intellectum à parte rei, cæterùm formaliter ſumptum, ſeu ut denominatum à cognitione eſſentialiter falſâ, dari non poteſt, tali ſcilicet modo, quali enuntiatur per illam cognitionem; & ideo ſic ſumptum denominatur extrinſecè non reale, quatenus reale opponitur ficto & falſo, licet poſſit dici reale, quatenus reale abſtrahit ab eſſe intentionali qualicunque, etiam inverificabili. Hoc autem dicere etiam de altero Deo, non eſt cur ſibi quiſquam religioni ducat. Non probamus tamen hîc illud quod aſſerit Petrus de Comitibus: quamcunq; propoſitionem, etiam hanc, *Deus eſt injuſtus*, eſſe veram obiectivè. Nam illa tantùm eſt propoſitio obiectivè vera, cujus obiectum non ſolùm datur ſecundùm ſe à parte rei, ſed etiam datur tali modo, quali modo repræſentatur per propoſitionem, cùm veritas propoſitionis ſit conformitas cum ſuo objecto: hoc autem non convenit illi propoſitioni, quæ eſt in materia impoſſibili.

Ad 8. Definitio communis Entis rationis, non ita eſt accipienda, quaſi Ens rationis ſit illud obiectum, quod ſecundùm ſe non poſſit dari extra intellectum, ut probatum eſt hactenus: ſed ita, ut Ens rationis ſit illud obiectum, quod tali *Definitio Entis rationis.*

modo, quali exprimitur in intellectu fingente, nequeat dari extra intellectum, ſed tantum detur in intellectu fingente. Sed hæc ſatis. Reſtat, ut explicato Ente reali & Ente rationis, videamus quid ſit Ens poſſibile, quid Impoſſibile, quid Actuale!

QVÆSTIO III.

Vtrum Ens pure poſſibile ſit aliquid in ſe intrinſece à parte rei diſtinctum à Deo?

PUNCTUM I.

Rationes dubitandi pro parte affirmativa & ſtatus Quæſtionis.

VIdetur Ens purè poſſibile eſſe aliquid in ſe intrinſecè a parte rei diſtinctum à Deo, 1. quia idem eſt nunc Petrus exiſtens, qui fuit ante mille annos purè poſſibilis: ſed nunc eſt aliquid in ſe intrinſecè diſtinctum à Deo: Ergo & olim, cùm fuit purè poſſibilis.

2. Ens purè poſſibile v. g. Antichriſtus eſt terminus Omnipotentiæ Dei, quem illa poteſt phyſicè producere: ſed omnipotentia Dei nequid producere nihil, nec ſeipſam, cum ſit incauſata: Ergo Ens purè poſſibile eſt aliquid reale poſitivum, diſtinctum à parte rei ab Omnipotentia Dei. quæ eſt ipſe Deus; & quidem non eſt mera denominatio extrinſeca ab Omnipotentia Dei, ſicut etiam terminus potentiæ viſivæ, & auditivæ, ſeu viſibile & audibile, non eſt mere denominatio extrinſeca à ſua potentia.

3. Oppoſita prædicata verificantur à parte rei de potentia Dei productiua Antichriſti, deq; ipſo Antichriſto purè poſſibili: nam hic eſt producibilis, & ens ab alio, illa improducibilis

& ens

&ens à ſe. Ergo Antichriſtus purè poſſibilis eſt aliquid in ſe intrinſece diſtinctum à potentia Divinâ productiva Antichriſti.

4. Si Ens purè poſſibile, ſeu quod idem eſt, ſi eſſentia rei creatæ non exiſtentis, conſtitueretur in illo eſſe poſſibili & æterno per Omnipotentiam Dei, tanquam per formam extrinſecam; ſequeretur primò omnes propoſitiones æternæ veritatis, v. g. has *Homo eſt poſſibilis, Leo eſt rugibilis*, habere, pro objecto ſaltem inadæquato ipſam Omnipotentiam Dei. Sequela autem eſt falſa: quia ſæpe hujuſmodi propoſitiones diſcrepant tam prædicato, quàm ſubjecto, id eſt toto objecto, ut cum dico, *Homo eſt rationalis, Leo eſt rugibilis*. Deinde ſequeretur, Ens poſſibile ut ſic non poſſe dividi in Deum & creaturam purè poſſibilem, quia in ſecundo membro, includeretur primum; & ſic periret omnis diviſio categoriarum.

5. Nulla forma etiam extrinſeca poteſt tribuere ullam denominationem ſubjecto, niſi illud ſupponat in ſe intrinſecè diſtinctum à ſeipſa, ut patet in denominatione extrinſeca dextri, viſi. Et ratio eſt, quia quod non præſupponitur eſſe aliquid in ſe intrinſecè, non poteſt recipere eſſe tale, vel tale, ab ullo etiam extrinſeco. Igitur omnipotentia Dei, ut eſſentiis rerum creatarum ab æterno tribuat extrinſecè denominationem Poſſibilis, debet præſupponere illas eſſe in ſeipſis intrinſecè.

6. Quod per ſeipſum intrinſecè non repugnat, eſt in ſe intrinſece poſſibile: Sed Antichriſtus per ſeipſum intrinſece non repugnat: tum quia in ſuis prædicatis eſſentialibus, (quæ ſunt ipſe Antichriſtus,) nullam includit contradictionem

tum quia alioquin vera eſſet iſta propoſitio priori contradictoria, *Antichriſt⁹ per ſeipſum intrinſecè repugnat.* Ergo Antichriſtus eſt in ſe intrinſecè poſſibilis, & ſic in ſe intrinſecè diſtinctus a DEo. Confirmatur quia Antichriſt⁹ eſſentialiter, ideoque intrinſecè eſt animal, vivens, corpus &c. Ergo debet dari aliquid Antichriſto intrinſecum adeoq; diſtinctum in ſe intrinſecè a DEO, vi cujus verificentur iſta prædicata eſſentialia de Antichriſto; quod non eſt aliud, niſi ipſa poſſibilitas paſſiva, ſeu connexio & identitas prædicatorum eſſentialium Antichriſti Et ratio eſt, quia hanc propoſitionem: *Antichriſtus eſt animal*, verificat id, quod identificat prædicatum cum ſubjecto; nihil autem extrinſecum poteſt identificare prædicatum cum ſubiecto, cùm nihil ſit magis intrinſecum identificatis, quàm ipſa identitas, quæ ſola identificat prædicatum cum ſubjecto.

7. Impoſſibile non eſt denominatio extrinſeca à potentia DEI non potente producere aliquid. Ergo nec poſſibile, à potentia potente producere aliquid. Conſequentiam probat paritas rationis. Antecedens verò probatur: Tum quia alioquin daretur in DEO Impotentia producendi aliquid, quam tamen negat D. Tho. DEO tribui poſſe, cùm virtus ejus activa ſit infinita & plenitudo totius poſſe, cujus aliquem defectum ſignificat impotentia: Tum quia etiamſi omnipotentia DEI non exiſteret, adhuc chimera eſſet impoſſibilis; nec enim per hoc præcisè redderetur poſſibilis, quia tunc cauſa adæquata omnium poſſibilium deficeret.

8. Una forma indiviſibilis non poteſt pluribus ſubiectis dare diverſas denominationes, quin præſupponat in ipſis aliquam diverſitatem

intrin-

intrinſecam, ut inter alia patet in Actione, diverſimode denominante cauſam & paſſum, ſuppoſita in eis diverſitate intrinſecà. Cum ergo omnipotentia Dei ſit quaſi forma indiviſibilis, non poteſt unum objectum denominare extrinſecè Poſsibile, alterum Impoſſibile; unum animal rationale, alterum animal rugibile, quin in ipſis obiectis præſupponat diverſitatem intrinſecam, conſiſtentem in tali vel tali conſonantia vel diſſonantia prædicatorum eſſentialium inter ſe; quæ proinde conſonantia vel diſſonantia, non erit mera denominatio extrinſeca ab omnipotentia Dei.

9. Vera eſt iſta cauſalis: *Ideò DEUS poteſt producere muſcam, quia hæc non implicat, ſeu quia eſt poſſibilis*, non autem è converſo. Item vera eſt hæc altera: *Ideò DEUS non poteſt producere Hircocervum, quia hic implicat*; non autem è converſo. Et ratio eſt: quia alioquin nulla dabitur ratio à priori, cur Deus poſſit facere muſcam, & non poſſit Hircoceruum. Prius igitur eſt muſcam eſſe poſſibilem, & hircoceruum impoſſibilem, quàm Deum poſſe illam, hunc non poſſe, producere.

Ultimò. Saltem poſſibilitas peccati non eſt omnipotentia Dei, aliàs Deus amans neceſſariò Poſſibilitatem peccati, (ſicut neceſſariò amat omnipotentiam ſuam,) eo ipſo neceſſariò amaret peccatum poſſibile; quod repugnat ſummæ ejus bonitati. Ergò ſaltem non omne Ens purè poſſibile eſt pura denominatio extrinſeca ab omnipotentia Dei.

§ I. Reſpondetur. Ut explicetur ſtatus quæſtionis, certum imprimis eſt, aliquam poſſibilitatem etiam eorum, quæ ſunt contingentia in-

exiſtendo, eſſe aliquid non modo æternum, ſed etiam ſimpliciter & abſolutè neceſſarium ac indefectibile. Patet hoc, quia ſi omnis poſſibilitas Angeli abſolutè potuit non eſſe; etiam Angelus abſolutè potuit non eſſe poſſibilis: cùm nihil ſit poſſibile, deficiente omni ſuâ poſſibilitate. Si autem Angelus abſolutè potuit non eſſe poſſibilis: ergo potuit abſolutè Angelus non eſſe id quod eſt aptum exiſtere, ſeu potuit non eſſe Ens reale: hoc autem non minùs eſt impoſſibile, quàm ſi quis diceret, quòd, homo potuerit non eſſe rationalis: cùm non minus ſit eſſentiale Angelo, eſſe ens reale, quàm homini, eſſe rationalem.

Aliqua poſſibilitas contingentium eſt æterna & neceſſaria.

§ II. Certum rursùs mihi eſt, aliquam Poſſibilitatem rei exiſtentis non diſtingui realiter ab ejus exiſtentia: quia unumquodq; exiſtens, in ſeipſo intrinſecè non repugnat, ſeu non involuit contradictoria prædicata, adeoq; eſt quid intrinſecè in ſe poſſibile. Verùm hæc Poſſibilitas, in iis quæ contingenter exiſtunt, eſt contingens, non ſecùs ac exiſtentia ipſorum; nec de hac præſens quæſtio procedit: ſed potius procedit de illa Poſſibilitate rerum non exiſtentium, æterna ac ſimpliciter neceſſaria, & quæritur: quidnam ſit? ut hac cognitâ innoteſcat quid ſit Ens purè poſſibile, quod denominatur à tali poſſibilitate? In qua difficultate multæ ſunt authorum ſententiæ.

Aliqua contingẽs.

§ III. Prima eſt Henrici Gandau: quem è noſtris ſequitur Albertin. in præd. ſubſt. diſp. 1. qu. 1. & Tellez diſp. 50. met. ſect. 1. & Izquier. in pharo diſp. 11. qu. 1. exiſtimantium, Ens merè poſſibile, v. g. Alterum ſolem, præter Omnipotentiam Dei productivam ipſius, importare aliquod eſſe abſolutum poſitivum, actuale.

le, nemine cogitante à Deo diſtinctum, ſed ita diminutum, ut vi ipſius, v. g. Alter ſol, ſolùm dicatur eſſe ab æterno actu actualitate eſſentiæ, non actualitate exiſtentiæ. Secunda ſententia Heruæi, Capreoli, Fons: apud citatum Tellez, hoc tantùm differt à prima, quòd iſtud eſſe poſſibile æternum, dicat eſſe Ens purè negativum, ſeu abuſivum, vocetq; illud, Carentiam repugnantiæ, ſeu non implicantiam ad exiſtendum. 3tiò Scotus cum ſuis opinatur, ex cognitione Diuina de creaturis poſſibilibus reſultare quoddam eſſe objectivum, diminutum, æternum, in quo conſtituit formaliter poſſibilitatem creaturarum. 4tò communiter R. R. docent Poſſibilitatem creaturæ non exiſtentis, diſtingui quidem à Deo nemine cogitante; non tamen eſſe aliquid actuale abſolutum, ſed purè potentiale & conditionatum, ſeu diſiunctivum, quod ſit verificativum hujus propoſitionis v. g. *Si & quando homo exiſtet, erit animal rationale*; vel hujus: *Aut homo non exiſtet, aut exiſtet animal rationale:* adduntque hujuſmodi ens eſſe in ſe intrinſecè æternum ac neceſſarium, æternitate & neceſſitate à parte rei diſtinctâ à Deo. Ita Arriaga, Oviedo, & Ripalda tom. 1. de Ente ſupern. diſp. 32. ſect. 1. Ultima tandem ſententia eſt, quæ docet Poſſibilitatem æternam ac neceſſariam creaturæ, in re eſſe ipſam Dei Omnipotentiam, quatenùs productivam creaturæ, à qua per denominationem extrinſecam, Alter ſol v. g. denominatur ab æterno ac neceſſariò poſſibilis, cùm ipſe nihil ſit in ſe intrinſecè. Hanc ſententiam tenet P. Petrus Hurtad. diſp. 8. met. ſ. 1. § 2. illuſtrat verò mirabiliter ut ſolet Magnus Antonius Perez in aureo ſuo opere de Deo, præſertim Tr. 2.

Sententiæ de poſſibilitate creaturæ, æterna.

diſp. 1. de ſcientia Dei cap. 9. num. 193. & Tr. 3. de volunt. diſp. 1. cap. 2. num. 50. Idem docent mei ambo in Theologia Profeſſores, P. Martinus de Eſparza qu. 16. de Deo art. 1. & q. 20. ad 1. & P. Giattinus qu. 6. Log. art. 3 Subſcribunt P. Syluester Maurus qu. 47. Log. P. Giraldinus par. 1. q.q. Philoſoph. qu. 24. & communiter nunc Profeſſores noſtri in Collegio Romano. Eandem ſententiam tenet Suarez diſp. 31. met. ſect. 2. ubi dicit. *Id quod eſt Eſſentiam creatam terminare Dei ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, (quod utiq; eſt Ens purè poſſibile) neq; eſt aliquid in ipſa eſſentia creata, neq; aliquid ab ipſa, ſed eſt ſola denominatio extrinſeca à ſcientia Dei.* Et mox ſubjungit: *Sufficere ad hoc eſſe potentiale creaturæ, quod ut ſic, ſolùm eſt actu in cauſa, ut rectè dixit D. Thom. 1. p. qu. 4. art. 9. & 1. con. Gen. c. 66.* Et num. 10. dicit: *Eſſentia creaturæ nondum facta, vel non eſt conſideranda in ſe, ſed in ſua cauſa, nec habet aliud eſſe reale ab eſſe ſuæ cauſæ: vel ſi conſideretur ac in ſe habens eſſe, ſecundùm hanc conſiderationem, non eſt Ens reale, ſed rationis. Idem repetit num.* 11. & diſp. 42. met, ſect. 3. ait: *Poſitiva denominatio, quâ poſſibile dicitur, ſumitur ab aliqua potentia reali activa vel paſſiva. Poſſibile enim dicitur quod in alicuius potentia continetur.* Idem docet apertiſſime Gregor. de Valentia in 1. par. diſ. 1. qu. 14. pun. 7. ubi dicit: *Ex doctrina S. Thomæ 1. p. qu. 14. art. 9. & contra Gent. cap. 66. Manifeſtè haberi, quod purè poſſibilia non habeant aliud eſſe quam in ſua cauſa, quod eſſe in cauſa non eſt proprium eſſe, & diſtinctum ab eſſe cauſæ* Et infra: *Ad primum argumentum. Reſpondeo; propoſitionem illam communem, qua dici ſolet, eſſentias rerum eſſe ab æterno, non ita intelligendam eſſe, quaſi aliquod reale*

ale eſſe obiectivum verum eſſentiale ſit æternum abſque ſui productione, & tamen reipſa diſtinctum à Deo, hoc enim falſum eſt, & contra fidem.

Idem ſentit eruditiſſimus P. Didacus Ruiz de Montoya diſp. 11. de ſcientia DEI ſect. 4. his verbis: *Dico primo, Eſſentiæ rerum non ſunt ab æterno, præterquam in Potentia, Ideis & cognitione Divina, quo eſſendi modo ſunt ipſe Deus,* (nempe quoad formam denominantem.) *Nihil itaq; realiter diſtinctum à Deo fuit ab æterno neq; quoad eſſentiam, neq; quoad exiſtentiam. Ita D. Thom. S. Bonaventura, Albert⁹, Alexander Alenſis, Heruæus, Scotus, Capreol. Richard. Carthuſ.* Et infra. *Propter hoc exiſtimo poni prorſus improbabiliter illud eſſe eſſentiæ, quod à quibuſdam dicitur fuiſſe ab æterno. Hanc autem improbabilitatem intelligo, ſi ſolam rationem naturalem attendamus: nam ſi fidem creationis mundi conſideremus, ea poſitio temeritatem continebit, & periculum erroris Wiclefi &c.* Hæc Ruiz.

Addo ex noſtris P. Ioannem Martinon diſ. 22 de DEO ſect. 3. num.17. ita diſſerentem: *Ea quæ non repugnant, non intelliguntur quaſi in ſe habere fundamentum ſuæ neceſſitatis, ſed potius in Divina entitate. Hac igitur eſt prima radix & origo non repugnantiæ & poſſibilitatis creaturarum.* Et P. Franciſcum Vekenum in lib: de DEO, quem Alexandro VII. cum laude ipſius Pontificis, dedicavit, ubi diſp. 3. cap. 2. num. 8. ita dicit: *Purè poſſibilia à nihilo non differunt in ſeipſis, etſi differant in intellectu, & in cauſis, ubi non proprio eſſe gaudent ſed alieno.*

Alios Authores præſertim S. Bonaventuram & Alenſem citatos vide, tum in Indice libri noſtri de DEO v. *Poſſibile*: tum in q.q. ſelectis ad 1m. par. qu. 3, hic tantum juvat referre S. Auguſti-

guſtinum, Anſelmum & D. Thomam, qui clariſſimè ſtant pro hac ſententia.

S. Auguſtin: lib. 5. de Geneſi ad lit. cap. 18. de rebus purè poſſibilibus ita dicit: *Antequam fierent, & erant, & non erant: erant in Dei ſcientia*, indiſtincta ab Omnipotentia, *non erant in ſua natura.* quod ipſum repetit cap 15. poſt medium. Et lib. 21. de Civit. cap.7. docet non poſſe dari *fortiorem rationem, cur aliquid ſit poſſibile! niſi, hanc eſſe voluntatem Omnipotentis, qui non ob aliud vocatur Omnipotens, niſi quoniam quidquid vult poteſt.* S. Anſelm. Menol, cap. 33. hæc habet. *Cum ipſe ſummus Spiritus dicit ſeipſum, dicit omnia quæ facta ſunt: nam antequam fierent, & cum jam facta ſunt, & cum corrumpuntur, ſemper in ipſo ſunt, non quod ſunt in ſeipſis, ſed quod ſunt idem ipſe.* S. Thomas idem non raro docet. Et imprimis q. 3. de poten. art 5. ad 2. dicit: *Ipſa quiditas creari dicitur, quæ antequam eſſe habeat, nihil eſt niſi forte in intellectu creantis, ubi non eſt creatura, ſed creatrix Eſſentia.* Et 1. p. q. 14. art. 9. *Ea quæ non ſunt actu, non ſunt ſimpliciter, ſunt tamen aliquo modo, nempe ſunt in potentia activa, ſive paſſiva.* Et mox: *Ea quæ nec ſunt, nec erunt, nec fuerunt, cognoſcuntur à Deo per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ ideò, quia non habent eſſe diſtinctum extra videntem.* Et 1. con. Gent. cap. 66. *Ea quæ nec ſunt, nec erunt, nec fuerunt, non cognoſcit Deus ut exiſtentia aliqualiter, in ſeipſis, ſed exiſtentia ſolùm in Divina potentia.* His poſitis, jam determinanda eſt ſententia noſtra.

PUNCTUM II.

Oſtenditur Poſſibilitatem in ſe, æternam, rei non exiſtentis, in re non diſtingui à Deo.

§ IV. Dicendum ergo eſt, Poſſibilitatem in ſe intrinſecè æternam ac ſimpliciter neceſſariam rerum, non eſſe aliquid à parte rei diſtinctum à Deo. Probatur: quia ens, in ſe intrinſecè æternum ac ſimpliciter neceſſarium ex ſuo conceptu eſt in re, purum ſummumque bonum, & conſequenter indiſtinctum à parte rei à Deo, qui ſolus eſt purum ſummumque bonum. Hoc verò ipſum præterquam quod ſit effatum Auguſtini in lib. de Trin: docentis univerſaliter, *Omne æternum ac immutabile eſſe ſummum*, declaratur tali ratione. Quod ex ſuo conceptu nullum habet meritum & capacitatem terminandi ullam prudentem fugam & diſplicentiam voluntatis, illud nullam includit imperfectionem, adeoq; omnem includit perfectionem, (cùm excluſio unius contradictorii, ſit incluſio alterius, ne inter contradictoria detur medium à parte rei;) conſequenter tale ens eſt ex ſuo conceptu purum ſummumq; bonum, ut patet. Atqui Ens quod eſt in ſe intrinſecè æternum ac ſimpliciter neceſſarium, nullum habet ex ſuo conceptu meritum & capacitatem terminandi prudentem fugam & diſplicentiam voluntatis. Ergò nullam ex ſuo conceptu includit imperfectionem, ſed potiùs omnem perfectionem, & ſic eſt purum bonum. Conſequentia eſt legitima. Major probatur: quia ſicut reſpectu aſſenſûs in intellectu, objectum adæquatum eſt veritas; reſpectu autem diſſenſûs, falſitas: ita reſpectu prudentis proſecutionis in voluntate, objectum adæquatum eſt bonitas

Ens in ſe intrinſecè æternum ac ſimpliciter neceſſarium eſt purum bonum

nitas

nitas ſeu perfectio; reſpectu verò prudentis fugæ & diſplicentiæ objectum adæquatum eſt defectus ſeu imperfectio. Sicut ergo quod non poteſt terminare diſſenſum, nullam includit falſitatem, ita quod non poteſt terminare ullam prudentem diſplicentiam, illud nullam includit imperfectionem, ſed potiùs omnem includit perfectionem. Probatur jam minor multipliciter. Primò enim Ens in ſe æternum ac ſimpliciter neceſſarium, eſt prorſus inevitabile; ſtultum autem eſt fugere, quod evitari non poteſt. Deinde ſine ente ſimpliciter neceſſario, ſeu tali, quod repugnat abeſſe, nullum prorſus malum vitari poteſt, nullumq; bonum acquiri: nemo autem prudens poteſt averſari etiam inefficaciter illud objectum, ſine quo nullum bonum habere poteſt, nullumq; malum vitare; ſiquidem omnis prudens de aliquo objecto diſplicentia etiam inefficax, ſemper ordinatur ad vitandum aliquod malum, aut ad bonum aliquod acquirendum. Præterea, qui ſibi diſpliceret de ente ſimpliciter neceſſario, utique vellet ſaltem inefficaciter illud non eſſe, quod tamen metaphyſicè repugnat non eſſe; & ſic vellet ſaltem inefficaciter Chimeram, quam tamen nemo prudens, etiam inefficaciter velle poteſt. Demum loquendo in ſubjecta materia, qui illam Poſſibilitatem creaturæ in ſe intrinſecè æternam, vellet ſaltem ſpeculativè & inefficaciter non eſſe, eo ipſo vellet ſpeculativè & inefficaciter Deum non eſſe completè omnipotentem (non poſſet enim Deus eſſe completè omnipotens ablatâ illâ poſſibilitate creaturarum;) & conſequenter vellet Deum non eſſe completè beatum: quæ tamen voluntas, etiam inefficax & ſpeculativa, eſt omninò irrationalis. Nulli igitur

volui-

voluntati prudenti poteſt diſplicere etiam inefficaciter & ſpeculative, Ens quod eſt in ſe intrinſece æternum ac ſimpliciter neceſſarium, ideoque tale ens eſt in re purum ſummumq; bonum.

§ V. Confirmatur hoc idem argumentum: Summa Dei bonitas ſufficit ſibi ſe ſola, ut exiſtat complete omnipotens, libera, beata; ita ut omnia à ſe realiter diſtincta contemnere efficaciter, deq; illis diſponere liberè poſſit, atq; eadem ſub dominio ſuo contineat; quod eſt principium Theologicum pro unitate Dei contra Gentiles. Si autem daretur Poſſibilitas creaturæ, tanquam aliquid à parte rei diſtinctum à Deo, in ſe intrinſece æternum ac ſimpliciter neceſſarium; jam tale ens, non poſſet Deus efficaciter contemnere, (alioquin hoc ipſo poſſet deficere tale ens, quod ponitur eſſe indefectibile,) nec illud haberet ſub dominio ſuo, ſed potius deberet illud amare neceſſariò, illâ neceſſitate, quâ amat ſuam omnipotentiam, libertatem ac beatitudinem completam, quarum ſcilicet perfectionum Dei, tale ens eſſet complementum unicè requiſitum; ac proinde jam non ſufficeret ſibi ſe ſolâ, ſumma illa Bonitas Divina. Hæc autem ſequela tantò eſt inconvenientior, quantò minùs perfectionis haberet illud Ens extra Deum, habens in ſe ſuum eſſe incontemptibile à Deo, quàm perfectiſſimum aliquod ens extra Deum exiſtens, v. g. ſupremus Angelus, aut Humanitas à Verbo aſſumpta; quod tamen ens, Deus contemnere efficaciter poteſt, abſolutè loquendo, certè illud non amat neceſſariò, cùm Divinam voluntatem infinitam, ſolum Bonum infinitum, in ſui amorem neceſſarium flectere poſſit.

§ VI. Relinquitur ergo, Poſſibilitatem creaturæ

ræ in ſe intrinſecè æternam ac ſimpliciter neceſſariam non eſſe ens aliquod diminutum, non ens abuſivum, non ens purè objectivum reſultans ex cognitione DEI, non purè negativum, non purè conditionatum vel diſiunctivum, non ens purè potentiale ſeu nominaliter tantùm & metaphyſicè ens. Patet enim, hæc omnia, hisque ſimilia prædicata, magnam in ſuo conceptu involvere imperfectionem, cùm tamen ens in ſe intrinſecè æternum ac neceſſarium abſolutè, omnem à ſe, ex ſuo conceptu excludat imperfectionem, ut modò oſtenſum eſt.

Poſſibilitas creaturæ non eſt diminutũ Ens

§ VII. Specialiter autem Poſſibilitas creaturæ non eſt ens diminutum: Tum quia, *quantùm aliquid habet de veritate, tantùm habet de entitate* & bonitate, ut pote convertibili cum veritate, ut dicetur ex D. Thoma diſp. 3. qu. 5. § 2. unde cùm Poſſibilitas creaturæ. v. g. hominem eſſe animal rationale, ſit quid maximè verum & neceſſarium, oportet etiam ut ſit maximum ens, & non aliquid diminutum. Tum quia cur id, quod participat de Divina ſapientia aut potentia, participat etiam de Divina bonitate, nec eſt ens diminutum; ſecùs autem id quod participat de Divina neceſſitate, immutabilitate, æternitate, uti participat Poſſibilitas creaturæ, etiam per Adverſarios? Nempe modus eſſendi ſequitur ipſum eſſe; quomodo ergo poterit participari eſſe ab æterno, (qui eſt modus eſſendi Divinus,) & non participari ipſum eſſe Divinum, ejusque bonitas?

§ VIII. Rurſus Poſſibilitas creaturæ non eſt ens objectivum reſultans ex cognitione DEI: Tum quia univerſaliter non dantur talia entia: Siquidem ſecluſo omni ente reſultante ex cogni-

tione

tione, eo ipſo præciſè, quod cognitio exprimat v. g. roſam, roſa denominatur formaliter cognita: Tum quia, ens iſtud Poſſibilitatis creaturarum objectivum, erit utiq; poſterius naturâ vel origine, quàm cognitio Dei, ex qua reſultat. Pro illo ergo priori ſive originis, ſive naturæ, pro quo intelligitur Divina cognitio, vel creatura non erit, præciſivè loquendo, poſſibilis; cùm tamen eſſe poſſibilem, ſit primus conceptus creaturæ, nec in ullo ſigno poſſit intelligi creatura antequam intelligitur eſſe poſſibilis, ſeu ens, & aliquid aptum exiſtere: vel certè pro illo priori ſeu originis ſeu naturæ, creatura erit formaliter poſſibilis ante ſuam poſſibilitem, quæ eſt in ſigno poſteriori, ſive naturæ, ſive originis. Hoc autem etiam eſt inconveniens, ut patet. *Non objectivum reſultans ex cognitione Dei*

§ IX. Eadem ratione probatur Poſſibilitatem creaturæ non eſſe ens purè negativum & abuſivum. Hoc enim deberet ante ſe ſupponere aliquod ens poſitivum, in quo fundatur omne negativum: Poſſibilitas autem eſt primum prædicatum rei. Rurſus cùm à quibuſdam dicitur Poſſibilitas eſſe non repugnantia ad exiſtendum; ſiquidem ipſa Repugnantia eſt aliquid negativum, (eſt enim carentia poſſibilitatis;) jam non repugnantia ſeu poſſibilitas, erit negatio negationis, & ſic reipſa erit aliquid poſitivum, negativè expreſſum, ita ſicut Immenſitas, Infinitas, &c. Tandem oſtendetur Diſp. ſeq: non dari negationes diſtinctas nemine cogitante ab omni ente poſitivo. *Non purè negativū*

§ X. Ampliùs Poſſibilitatem creaturæ non eſſe ens purè conditionatum vel diſiunctivum, probatur: Tum quia non datur quidquam à parte rei in ſe intrinſecè, ſeu conditionatum, ſeu

diſiunctivum, ſed potiùs iſtæ denominationes ſunt extrinſecæ, provenientes à modo tendendi in objectum conditionato vel diſiunctivo: Poſſibilitas autem creaturæ, datur à parte rei in ſe, intrinſecè ab æterno. Tum quia ut benè oſtendit P. Eſparza qu. 18. de Deo ad 3. omnis propoſitio conditionata æquivalet abſolutæ, ſcilicet vel neganti conjunctionem inter conditionem & conditionatum; vel neganti conjunctionem conditionis cum omiſſione conditionati. Et ita, hæc præpoſitio: *Si homo exiſtet, erit rationalis,* æquivalet huic: *Exiſtentia hominis non conjungetur cum omiſſione rationalis:* hæc verò altera: *Si homo exiſtet, non erit rugibilis,* æquivalet huic: *Exiſtentia hominis non conjungetur cum rugibili.* Debet igitur dari à parte rei aliquod objectum abſolutum, verificativum propoſitionis conditionatæ de eſſentiis rerum creatarum, utpote æquivalentis propoſitioni abſolutæ; quod objectum utiq; eſt ipſa Poſſibilitas creaturæ. Tum demùm quia eſſentiis rerum, antequam exiſtant, hoc eſſe conditionatum non convenit rurſus conditionatè, ne fiat proceſſus in infinitum, ſed potiùs convenit abſolutè; ideoq; convenit, ratione alicujus objecti verificativi abſoluti æterni, quod proculdubio eſt poſſibilitas creaturarum.

Non purè conditionatum vel diſiũctivum

§ XI. Demùm Poſſibilitatem creaturæ dari defacto, actu ab æterno, adeoq; eſſe ens participialiter, ſeu exiſtens, & non eſſe ens purè potentiale ſeu ens tantùm, ut ajunt, nominaliter. Probatur etiam ſpecialiter: Tum quia nunc & ab æterno fuit vera iſta propoſitio: *Antichriſtus eſt actu & defacto poſſibilis.* Ergo (cùm quælibet propoſitio ſit vera per conformitatem ad ſuum objectum) debet dari nunc & ab æterno actu & defa-

Nec Ens nominaliter tantum

defacto aliquod objectum verificativum propoſitionis affirmantis actu & defacto nunc eſſe poſſibilem Antichriſtum: hoc autem objectum, non eſt aliud niſi poſſibilitas ipſius. Tum quia ſicut non poteſt dici aliquid nunc defacto eſſe actu album per albedinem non exiſtentem; ita non poteſt dici aliquid eſſe nunc actu defacto poſſibile per poſſibilitatem non exiſtentem. Et quamvis Antichriſto conveniat nunc eſſe in potentia ad exiſtendum, non convenit tamen ei eſſe in potentia ad eſſe poſſibile: immo hoc ipſum, quòd ſit in potentia ad exiſtendū, non convenit ei rurſus in potentia, ne procedatur in infinitum; ſed convenit actu; ideoque deveniendum tandem eſt ad aliquam actualitatem æternam verificativam propoſitionis affirmativæ de Antichriſto poſſibili, quæ actualitas eſt poſſibilitas ipſius.

§ XII. Atq; ex his patet Poſſibilitatem adæquatam cujuſcunq; poſſibilis non exiſtentis, ſeu formam adæquatam, à qua aliquid denominatur ab æterno poſſibile, eſſe in re, purum ſummumq; bonum, eſſe ens primum & maximum, ac proinde eſſe ens à ſe, conſequenter in ſenſu reali eſſe ipſam omnipotentiam Dei, quatenùs ab æterno neceſſariò contentivam in ſua virtute activa, prædicatorum eſſentialium rei poſſibilis, vel ſaltem permiſſivam illius, quod dicitur poſſibile, ac proinde in re, eſſe etiam ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, & aliquem actum Divinæ voluntatis neceſſarium circa poſſibilia: uno verbo in re: eſſe ipſam eſſentiam Dei, quæ à Nanzian. dicitur: *Pelagus totius eſſe.* Et hæc ſola eſt illa neceſſitas, æternitas, immutabilitas, à qua eſſentiæ creaturarum, extrinſecè denominantur neceſſariæ, æternæ, immutabiles, incorruptibiles, inge-

Quid ſit ſtatꝰ quid ditativus rerum?

nerabiles. Hæc ſola eſt illa actualitas neceſſaria, implicitè & indirectè importata in omnib⁹ propoſitionibus æternæ veritatis, (ut magis explicabitur in reſponſione ad 4.) eſtq; illarum objectum verificativum. Hæc demum ſola eſt ſtatus quidditativus rerum, in quo res habent invariabilem connexionem ſuorum prædicatorum quidditativorum ſeu eſſentialium. Et ratio ultra jam dicta eſt: quia illud eſt cauſa formalis adæquata alicujus effectûs, quo præciſè poſito, & ſublatis aliis omnibus, ponitur talis effectus formalis: ſed poſitâ præciſè omnipotentiâ DEI productiva Antichriſti, & ſublato quovis ente diminuto, aut quibuſcunq; vocibus extenuato, quod tamen ſit in ſe intrinſecè, eo ipſo, Antichriſtus eſt poſſibilis; ſiquidem eſſe cauſam productivam effectûs, & effectum eſſe producibilem à cauſa, ſeu poſſibilem eſſe, non differunt in re ex parte objecti quomodocunq; ſignificati, ſed tantùm ex parte apprehenſionum, quarum una id apprehendit in recto, quod altera in obliquo, non ſecùs ac differunt iſtæ locutiones: *Ego lego librum, liber legitur à me.* Ergo potentia DEI productiva Antichriſti, eſt forma adæquata denominans Antichriſtum producibilem ſeu poſſibilem. Neq; dicas Potentiam DEI productivam Antichriſti non eſſe denominationem adæquatè intrinſecam Deo, ſed deſumi partialiter ab aliquo extrinſeco, tenente ſe ex parte Antichriſti poſſibilis.

Poſſe producere aliquid eſt denominatio Deo intrinſeca

Contra enim eſt: Tum quia Bonitas eſſentialis DEI eſt ipſi adæquatè intrinſeca; Ergò & eſſe communicativum ad extra ſeu productivum creaturæ; cùm omne bonum ſit ſui communicativum, & è converſo eſſe communicativum ſui ad extra, ſit eſſe contentivum eminen-

ter perfectionum diſperſarum per creaturas, quod eſt eſſe bonum. Tum quia Deus ita eſt per ſeipſum principium liberum productivum creaturarum ad extra, ſicut Pater æternus eſt per ſeipſum principium neceſſarium productivum Filij ad intra. Cùm ergo hæc ſecunda denominatio ſit adæquatè intrinſeca Patri; erit etiam pariter intrinſeca prima denominatio Deo. Plures rationes pro hac aſſertione vide in qq. noſtris ſelectis ad 1m. part. tota qu. 3. Item in qq. de Deo Diſp. 1. qu. 1. pag. 13. & qu. 3. ad 2m. Et diſp. 4. qu. 4. pag. 204. Et diſp. 4. qu. 8. pag. 311. *adæquatè vide Diſp. 4. qu. 1. ad 4.*

PUNCTUM III.

Explicatur quid ſit ipſum Ens poſſibile ſeu poſſibilitas paſſiva.

§ XIII. Sic explicato Poſſibili in abſtracto, ſeu poſſibilitate activa, hoc eſt forma denominante Poſſibile, explicandum eſt quid ſit purè Poſſibile in concreto, ſeu poſſibilitas paſſiva. *Dicendum verò eſt*, nihil aliud eſſe quàm meram denominationem extrinſecam ab omnipotentia Dei productiva vel permiſſiva contingentis; ità ut pro formali & in obliquo importet hæc denominatio in re, ipſam omnipotentiam, quæ eſt poſſibilitas in ſe intrinſecè æterna ac neceſſaria omnium rerum; in recto verò & pro materiali importet ipſam eſſentiam ſeu prædicata eſſentialia rei contingentis, quæ poſſunt quidem vocari poſſibilitas paſſiva rei, nihil tamen ſunt in ſe intrinſecè, ſed tantùm ſunt tum in noſtro intellectu apprehendente conſonantiam illorum prædicatorum, tum etiam ſunt in omnipotentia Dei, in qua cauſaliter continentur, ita, ut eatenus dicantur eſſe, quatenus datur Potentia *Quid ſit Poſſibile?*

Divina productiva vel permiſſiva eorundem. Quia verò eodem modo, res diſtinguitur, quo eſt, ideò prædicata eſſentialia rei non exiſtentis, ſicut ſunt, ita & diſtinguuntur ab Omnipotentia DEI, non in ſeipſis, ſed in potentia & denominativè, hoc eſt, tanquam id, quod in denominatione proveniente à Potentia DEI productiva, concipitur in recto, quamvis non ſit aliquid in ſe intrinſecè à parte rei. Exemplum hujus eſt in denominationibus merè cogniti aut voliti. Sicut enim cognitio quæ datur in ſe intrinſece, intellectum denominat intrinſece cognoſcentem, objectum verò denominat extrinſecè cognitum, quamvis hoc aliquando nihil ſit in ſe intrinſecè, (qualis eſt utiq; chimera,) ſed ſolùm ſit in intellectu fingente, & per denominationem extrinſecam ab ipſa cognitione, quæ illud objectum denominat cognitum: ita potentia activa DEI, quæ eſt in ſe intrinſecè ab æterno, DEUM ab æterno denominat intrinſecè productivum creaturæ, ipſam verò creaturam denominat extrinſecè producibilem ſeu poſſibilem, quamvis hæc non ſit in ſe intrinſecè ab æterno, ſed tantùm ſit in potentia activa DEI, & per denominationem extrinſecam ab ipſa dicatur eſſe. Rurſus ſicut objectum cognitionis, quod non eſt in ſe intrinſecè, v. g. chimera, diſtinguitur quidem realiter à cognitione, ſed tantùm denominativè & intentionaliter, ſicut etiam eſt: ita poſſibile ab omnipotentia DEI diſtinguitur quidem realiter, ſed denominativè & poſſibiliter, ſicut etiam eſt, non autem in ſe intrinſecè. Quod eſt notandum, ad ſolvendas plures objectiones, quæ plerumq; fiunt ex non attenta conſideratione noſtræ ſententiæ, ut expertus ſum non ſemel.

PUN-

PUNCTUM IV.

Explicatur proportionaliter, impoſſibile & Futurum.

§ XIV. Quæ autem hactenus dicta ſunt de Poſſibili, proportionaliter dici debent de Impoſſibili formaliter ſumpto. Nam ſicut Poſſibilitas creaturæ, ita & Impoſſibilitas Chimeræ, eſt aliquid nemine cogitante, in ſe intrinſecè, actu ab æterno, & ſimpliciter neceſſariò. Verificat enim actu ab æterno & quidem neceſſariò hanc propoſitionem: *Chimera eſt actu ab æterno neceſſariò impoſſibilis.* Sicut ergo Poſſibilitas creaturæ, eſt Omnipotentia Dei quatenus in ſua virtute activa continens neceſſariò creaturam: ita Impoſſibilitas chimeræ eſt eadem Omnipotentia, quatenus in ſua virtute activa, neceſſariò, non continens chimeram, ſed potius per ſeipſam neceſſariò excludens & impediens chimeram. In concreto autem Impoſſibile, dicit in recto, v. g. hircum & cervum reales, ſubſtantes judicio falſo compoſitivo horum terminorum, juxta dicta qu. præcedenti, quatenus non contentos in virtute activa Dei, tali modo, quali exprimuntur per judicium illud eſſentialiter falſum. Sed de hoc plura Diſp. 2. qu. 3. ubi explicabuntur Negationes Chimerarum æternæ. *Quid Impoſſibile?*

§ XV. Interim proportionaliter diſcurrendum eſt etiam de Denominatione Futuri ſive abſoluti, ſive conditionati, ita ut hæc etiam deſumatur extrinſecè vel à Decreto libero Dei abſoluto, vel à ſcientia media: & ideò de Futuro abſoluto, pronuntiat D. Thom: 1. p. qu. 16. ar. 7. ad 3. *Illud quod nunc eſt Futurum, ex eo Futurum fuit antequam eſſet, quia in cauſa fuit, ut fieret.* Nempe *Quid Futurum?*

nitas ſeu perfectio; reſpectu vero prudentis fugæ & diſplicentiæ objectum adæquatum eſt defectus ſeu imperfectio. Sicut ergo quod non poteſt terminare diſſenſum, nullam includit falſitatem, ita quod non poteſt terminare ullam prudentem diſplicentiam, illud nullam includit imperfectionem, ſed potius omnem includit perfectionem. Probatur jam minor multipliciter. Primò enim Ens in ſe æternum ac ſimpliciter neceſſarium, eſt prorſus inevitabile; ſtultum autem eſt fugere, quod evitari non poteſt. Deinde ſine ente ſimpliciter neceſſario, ſeu tali, quod repugnat abeſſe, nullum prorſus malum vitari poteſt, nullumq; bonum acquiri: nemo autem prudens poteſt averſari etiam inefficaciter illud objectum, ſine quo nullum bonum habere poteſt, nullumq; malum vitare; ſiquidem omnis prudens de aliquo objecto diſplicentia etiam inefficax, ſemper ordinatur ad vitandum aliquod malum, aut ad bonum aliquod acquirendum. Præterea, qui ſibi diſpliceret de ente ſimpliciter neceſſario, utique vellet ſaltem inefficaciter illud non eſſe, quod tamen metaphyſicè repugnat non eſſe; & ſic vellet ſaltem inefficaciter Chimeram, quam tamen nemo prudens, etiam inefficaciter velle poteſt. Demum loquendo in ſubjecta materia, qui illam Poſſibilitatem creaturæ in ſe intrinſece æternam, vellet ſaltem ſpeculativè & inefficaciter non eſſe, eo ipſo vellet ſpeculativè & inefficaciter Deum non eſſe completè omnipotentem (non poſſet enim Deus eſſe completè omnipotens ablatâ illâ poſſibilitate creaturarum;) & conſequenter vellet Deum non eſſe completè beatum: quæ tamen voluntas, etiam inefficax & ſpeculativa, eſt omninò irrationalis. Nulli igitur

volui-

voluntati prudenti poteſt diſplicere etiam inefficaciter & ſpeculativè, Ens quod eſt in ſe intrinſece æternum ac ſimpliciter neceſſarium, ideoque tale ens eſt in re purum ſummumq; bonum.

§ V. Confirmatur hoc idem argumentum: Summa Dei bonitas ſufficit ſibi ſe ſola, ut exiſtat complete omnipotens, libera, beata; ita ut omnia à ſe realiter diſtincta contemnere efficaciter, deq; illis diſponere liberè poſſit, atq; eadem ſub dominio ſuo contineat; quod eſt principium Theologicum pro unitate Dei contra Gentiles. Si autem daretur Poſſibilitas creaturæ, tanquam aliquid à parte rei diſtinctum à Deo, in ſe intrinſece æternum ac ſimpliciter neceſſarium; jam tale ens, non poſſet Deus efficaciter contemnere, (alioquin hoc ipſo poſſet deficere tale ens, quod ponitur eſſe indefectibile,) nec illud haberet ſub dominio ſuo, ſed potiùs deberet illud amare neceſſariò, illâ neceſſitate, quâ amat ſuam omnipotentiam, libertatem ac beatitudinem completam, quarum ſcilicet perfectionum Dei, tale ens eſſet complementum unicè requiſitum; ac proinde jam non ſufficeret ſibi ſe ſolâ, ſumma illa Bonitas Divina. Hæc autem ſequela tantò eſt inconvenientior, quantò minùs perfectionis haberet illud Ens extra Deum, habens in ſe ſuum eſſe incontemptibile à Deo, quàm perfectiſſimum aliquod ens extra Deum exiſtens, v. g. ſupremus Angelus, aut Humanitas à Verbo aſſumpta; quod tamen ens, Deus contemnere efficaciter poteſt, abſolutè loquendo, certè illud non amat neceſſariò, cùm Divinam voluntatem infinitam, ſolum Bonum infinitum, in ſui amorem neceſſarium flectere poſſit.

§ VI. Relinquitur ergo, Poſſibilitatem creatu-

ræ in ſe intrinſecè æternam ac ſimpliciter neceſſariam non eſſe ens aliquod diminutum, non ens abuſivum, non ens pure objectivum reſultans ex cognitione Dei, non purè negativum, non purè conditionatum vel disjunctivum, non ens purè potentiale ſeu nominaliter tantùm & metaphyſicè ens. Patet enim, hæc omnia, hisque ſimilia prædicata, magnam in ſuo conceptu involvere imperfectionem, cùm tamen ens in ſe intrinſecè æternum ac neceſſarium abſolutè, omnem à ſe, ex ſuo conceptu excludat imperfectionem, ut modò oſtenſum eſt.

Poſſibilitas creaturæ non eſt diminutũ Ens

§ VII. Specialiter autem Poſſibilitas creaturæ non eſt ens diminutum: Tum quia, *quantùm aliquid habet de veritate, tantùm habet de entitate* & bonitate, ut pote convertibili cum veritate, ut dicetur ex D. Thoma diſp. 3. qu. 5. § 2. unde cùm Poſſibilitas creaturæ. v. g. hominem eſſe animal rationale, ſit quid maximè verum & neceſſarium; oportet etiam ut ſit maximum ens, & non aliquid diminutum. Tum quia cur id, quod participat de Divina ſapientia aut potentia, participat etiam de Divina bonitate, nec eſt ens diminutum; ſecùs autem id quod participat de Divina neceſſitate, immutabilitate, æternitate, uti participat Poſſibilitas creaturæ, etiam per Adverſarios? Nempe modus eſſendi ſequitur ipſum eſſe; quomodo ergo poterit participari eſſe ab æterno, (qui eſt modus eſſendi Divinus,) & non participari ipſum eſſe Divinum, ejusque bonitas?

§ VIII. Rurſus Poſſibilitas creaturæ non eſt ens objectivum reſultans ex cognitione Dei: Tum quia univerſaliter non dantur talia entia: Siquidem ſecluſo omni ente reſultante ex cogni-

tione

tione, eo ipſo præciſe, quod cognitio exprimat v. g. roſam, roſa denominatur formaliter cognita: Tum quia, ens iſtud Poſſibilitatis creaturarum objectivum, erit utiq; poſterius naturâ vel origine, quàm cognitio Dei, ex qua reſultat. Pro illo ergo priori ſive originis, ſive naturæ, pro quo intelligitur Divina cognitio, vel creatura non erit, præciſivè loquendo, poſſibilis; cùm tamen eſſe poſſibilem, ſit primus conceptus creaturæ, nec in ullo ſigno poſſit intelligi creatura antequam intelligitur eſſe poſſibilis, ſeu ens, & aliquid aptum exiſtere: vel certè pro illo priori ſeu originis ſeu naturæ, creatura erit formaliter poſſibilis ante ſuam poſſibilitem, quæ eſt in ſigno poſteriori, ſive naturæ, ſive originis. Hoc autem etiam eſt inconveniens, ut patet. *Non objectivum reſultans ex cognitione Dei*

§ IX. Eadem ratione probatur Poſſibilitatem creaturæ non eſſe ens purè negativum & abuſivum. Hoc enim deberet ante ſe ſupponere aliquod ens poſitivum, in quo fundatur omne negativum: Poſſibilitas autem eſt primum prædicatum rei. Rurſus cùm à quibuſdam dicitur Poſſibilitas eſſe non repugnantia ad exiſtendum; ſiquidem ipſa Repugnantia eſt aliquid negativum, (eſt enim carentia poſſibilitatis;) jam non repugnantia ſeu poſſibilitas, erit negatio negationis, & ſic reipſa erit aliquid poſitivum, negativè expreſſum, ita ſicut Immenſitas, Infinitas, &c. Tandem oſtendetur Diſp. ſeq: non dari negationes diſtinctas nemine cogitante ab omni ente poſitivo. *Non purè negativũ*

§ X. Amplius Poſſibilitatem creaturæ non eſſe ens purè conditionatum vel diſiunctivum, probatur: Tum quia non datur quidquam à parte rei in ſe intrinſecè, ſeu conditionatum, ſeu

diſiunctivum, ſed potiùs iſtæ denominationes ſunt extrinſecæ, provenientes a modo tendendi in objectum conditionato vel diſiunctivo: Poſſibilitas autem creaturæ, datur à parte rei in ſe intrinſecè ab æterno. Tum quia ut benè oſtendit P. Eſparza qu. 18. de Deo ad 3. omnis propoſitio conditionata æquivalet abſolutæ, ſcilicet vel neganti conjunctionem inter conditionem & conditionatum; vel neganti conjunctionem conditionis cum omiſſione conditionati. Et ita, hæc præpoſitio: *Si homo exiſtet, erit rationalis*, æquivalet huic: *Exiſtentia hominis non conjungetur cum omiſſione rationalis:* hæc verò altera: *Si homo exiſtet, non erit rugibilis*, æquivalet huic: *Exiſtētia hominis non conjungetur cum rugibili.* Debet igitur dari à parte rei aliquod objectum abſolutum, verificativum propoſitionis conditionatæ de eſſentiis rerum creatarum, utpote æquivalentis propoſitioni abſolutæ; quod objectum utiq; eſt ipſa Poſſibilitas creaturæ. Tum demùm quia eſſentiis rerum, antequam exiſtant, hoc eſſe conditionatum non convenit rurſus conditionatè, ne fiat proceſſus in infinitum, ſed potiùs convenit abſolutè; ideoq; convenit, ratione alicujus objecti verificativi abſoluti æterni, quod proculdubio eſt poſſibilitas creaturarum.

Non purè conditionatum vel diſiūctivum

§ XI. Demùm Poſſibilitatem creaturæ dari defacto, actu ab æterno, adeoq; eſſe ens participialiter, ſeu exiſtens, & non eſſe ens purè potentiale ſeu ens tantùm, ut ajunt, nominaliter. Probatur etiam ſpecialiter: Tum quia nunc & ab æterno fuit vera iſta propoſitio: *Antichriſtus eſt actu & defacto poſſibilis*. Ergo (cùm quælibet propoſitio ſit vera per conformitatem ad ſuum objectum) debet dari nunc & ab æterno actu & defa-

Nec Ens nominaliter tātum

defacto aliquod objectum. verificativum propoſitionis affirmantis actu & defacto nunc eſſe poſſibilem Antichriſtum: hoc autem objectum, non eſt aliud niſi poſſibilitas ipſius. Tum quia ſicut non poteſt dici aliquid nunc defacto eſſe actu album per albedinem non exiſtentem; ita non poteſt dici aliquid eſſe nunc actu defacto poſſibile per poſſibilitatem non exiſtentem. Et quamvis Antichriſto conveniat nunc eſſe in potentia ad exiſtendum, non convenit tamen ei eſſe in potentia ad eſſe poſſibile: immo hoc ipſum, quòd ſit in potentia ad exiſtendũ, non convenit ei rurſus in potentia, ne procedatur in infinitum; ſed convenit actu; ideoque deveniendum tandem eſt ad aliquam actualitatem æternam verificativam propoſitionis affirmativæ de Antichriſto poſſibili, quæ actualitas eſt poſſibilitas ipſius.

§ XII. Atq; ex his patet Poſſibilitatem adæquatam cujuſcunq; poſſibilis non exiſtentis, ſeu formam adæquatam, à qua aliquid denominatur ab æterno poſſibile, eſſe in re, purum ſummumq; bonum, eſſe ens primum & maximum, ac proinde eſſe ens à ſe, conſequenter in ſenſu reali eſſe ipſam omnipotentiam Dei, quatenùs ab æterno neceſſariò contentivam in ſua virtute activa, prædicatorum eſſentialium rei poſſibilis, vel ſaltem permiſſivam illius, quod dicitur poſſibile, ac proinde in re, eſſe etiam ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, & aliquem actum Divinæ voluntatis neceſſarium circa poſſibilia: uno verbo in re: eſſe ipſam eſſentiam Dei, quæ à Nanzian. dicitur: *Pelagus totius eſſe*. Et hæc ſola eſt illa neceſſitas, æternitas, immutabilitas, à qua eſſentiæ creaturarum, extrinſecè denominantur neceſſariæ, æternæ, immutabiles, incorruptibiles, inge- *Quid ſit ſtat° quid ditativũ rerum ſ*

nerabiles. Hæc ſola eſt illa actualitas neceſſaria, implicite & indirectè importata in omnib⁹ propoſitionibus æternæ veritatis, (ut magis explicabitur in reſponſione ad 4.) eſtq; illarum objectum verificativum. Hæc demum ſola eſt ſtatus quidditativus rerum, in quo res habent invariabilem connexionem ſuorum prædicatorum quidditativorum ſeu eſſentialium. Et ratio ultra jam dicta eſt: quia illud eſt cauſa formalis adæquata alicujus effectûs, quo præciſe poſito, & ſublatis aliis omnibus, ponitur talis effectus formalis: ſed poſitâ præciſe omnipotentiâ DEI productiva Antichriſti, & ſublato quovis ente diminuto, aut quibuſcunq; vocibus extenuato, quod tamen ſit in ſe intrinſecè, eo ipſo, Antichriſtus eſt poſſibilis; ſiquidem eſſe cauſam productivam effectûs, & effectum eſſe producibilem à cauſa, ſeu poſſibilem eſſe, non differunt in re ex parte objecti quomodocunq; ſignificati, ſed tantùm ex parte apprehenſionum, quarum una id apprehendit in recto, quod altera in obliquo, non ſecus ac differunt iſtæ locutiones: *Ego lego librum, liber legitur à me.* Ergo potentia DEI productiva Antichriſti, eſt forma adæquata denominans Antichriſtum producibilem ſeu poſſibilem. Neq; dicas Potentiam DEI productivam Antichriſti non eſſe denominationem adæquatè intrinſecam Deo, ſed deſumi partialiter ab aliquo extrinſeco, tenente ſe ex parte Antichriſti poſſibilis. Contra enim eſt: Tum quia Bonitas eſſentialis DEI eſt ipſi adæquatè intrinſeca: Ergò & eſſe communicativum ad extra ſeu productivum creaturæ; cùm omne bonum ſit ſui communicativum, & è converſo eſſe communicativum ſui ad extra, ſit eſſe contentivum eminenter

Poſſe producere aliquid eſt denominatio Deo intrinſeca.

ter

ter perfectionum diſperſarum per creaturas, quod eſt eſſe bonum. Tum quia Deus ita eſt per ſeipſum principium liberum productivum creaturarum ad extra, ſicut Pater æternus eſt per ſeipſum principium neceſſarium productivum Filij ad intra. Cùm ergo hæc ſecunda denominatio ſit adæquatè intrinſeca Patri; erit etiam pariter intrinſeca prima denominatio Deo. Plures rationes pro hac aſſertione vide in qq. noſtris ſelectis ad 1m. part. tota qu. 3. Item in qq. de Deo Diſp. 1. qu. 1. pag. 13. & qu. 3. ad 2m. Et diſp. 4. qu. 4. pag. 204. Et diſp. 4. qu. 8. pag. 311. *adæquatè vide Diſp. 4. qu. 1. ad 4.*

PUNCTUM III.

Explicatur quid ſit ipſum Ens poſſibile, ſeu poſſibilitas paſſiva.

§ XIII. Sic explicato Poſſibili in abſtracto, ſeu poſſibilitate activa, hoc eſt forma denominante Poſſibile, explicandum eſt quid ſit purè Poſſibile in concreto, ſeu poſſibilitas paſſiva. *Dicendum verò eſt*, nihil aliud eſſe quàm meram denominationem extrinſecam ab omnipotentia Dei productiva vel permiſſiva contingentis; ita ut pro formali & in obliquo importet hæc denominatio in re, ipſam omnipotentiam, quæ eſt poſſibilitas in ſe intrinſecè æterna ac neceſſaria omnium rerum; in recto verò & pro materiali importet ipſam eſſentiam ſeu prædicata eſſentialia rei contingentis, quæ poſſunt quidem vocari poſſibilitas paſſiva rei, nihil tamen ſunt in ſe intrinſecè, ſed tantùm ſunt tum in noſtro intellectu apprehendente conſonantiam illorum prædicatorum, tum etiam ſunt in omnipotentia Dei, in qua cauſaliter continentur, ita, ut eatenus dicantur eſſe, quatenus datur Potentia *Quid ſit Poſſibile?*

Divina productiva vel permiſſiva eorundem. Quia verò eodem modo, res diſtinguitur, quo eſt, ideò prædicata eſſentialia rei non exiſtentis, ſicut ſunt,ita & diſtinguuntur ab Omnipotentia Dei, non in ſeipſis, ſed in potentia & denominativè, hoc eſt, tanquam id, quod in denominatione proveniente à Potentia Dei productiva, concipitur in recto, quamvis non ſit aliquid in ſe intrinſecè à parte rei. Exemplum hujus eſt in denominationibus merè cogniti aut voliti. Sicut enim cognitio quæ datur in ſe intrinſecè, intellectum denominat intrinſecè cognoſcentem, objectum verò denominat extrinſecè cognitum, quamvis hoc aliquando nihil ſit in ſe intrinſecè, (qualis eſt utiq; chimera,) ſed ſolùm ſit in intellectu fingente, & per denominationem extrinſecam ab ipſa cognitione, quæ illud objectum denominat cognitum: ita potentia activa Dei, quæ eſt in ſe intrinſecè ab æterno, Deum ab æterno denominat intrinſecè productivum creaturæ, ipſam verò creaturam denominat extrinſecè producibilem ſeu poſſibilem, quamvis hæc non ſit in ſe intrinſecè ab æterno, ſed tantùm ſit in potentia activa Dei, & per denominationem extrinſecam ab ipſa dicatur eſſe. Rurſus ſicut objectum cognitionis, quod non eſt in ſe intrinſecè, v. g. chimera, diſtinguitur quidem realiter à cognitione, ſed tantùm denominativè & intentionaliter, ſicut etiam eſt: ita poſſibile ab omnipotentia Dei diſtinguitur quidem realiter, ſed denominativè & poſſibiliter, ſicut etiam eſt, non autem in ſe intrinſecè. Quod eſt notandum, ad ſolvendas plures objectiones, quæ plerumq; fiunt ex non attenta conſideratione noſtræ ſententiæ, ut expertus ſum non ſemel.

PUN-

PUNCTUM IV.

Explicatur proportionaliter, impoſſibile & Futurum.

§ XIV. Quæ autem hactenus dicta ſunt de Poſſibili, proportionaliter dici debent de Impoſſibili formaliter ſumpto. Nam ſicut Poſſibilitas creaturæ, ita & Impoſſibilitas Chimeræ, eſt aliquid nemine cogitante, in ſe intrinſecè, actu ab æterno, & ſimpliciter neceſſariò. Verificat enim actu ab æterno & quidem neceſſariò hanc propoſitionem: *Chimera eſt actu ab æterno neceſſariò impoſſibilis.* Sicut ergo Poſſibilitas creaturæ, eſt Omnipotentia Dei quatenus in ſua virtute activa continens neceſſariò creaturam: ita Impoſſibilitas chimeræ eſt eadem Omnipotentia, quatenus in ſua virtute activa, neceſſariò, non continens chimeram, ſed potiùs per ſeipſam neceſſariò excludens & impediens chimeram. In concreto autem Impoſſibile, dicit in recto, v. g. hircum & cervum reales, ſubſtantes judicio falſo compoſitivo horum terminorum, juxta dicta qu. præcedenti, quatenus non contentos in virtute activa Dei, tali modo, quali exprimuntur per judicium illud eſſentialiter falſum. Sed de hoc plura Diſp. 2. qu. 3. ubi explicabuntur Negationes Chimerarum æternæ. *Quid Impoſſibile?*

§ XV. Interim proportionaliter diſcurrendum eſt etiam de Denominatione Futuri ſive abſoluti, ſive conditionati, ita ut hæc etiam deſumatur extrinſecè vel à Decreto libero Dei abſoluto, vel à ſcientia media: & ideò de Futuro abſoluto, pronuntiat D. Thom: 1. p. qu. 14. ar. 7. ad 3. *Illud quod nunc eſt Futurum, ex eo Futurum fuit antequam eſſet, quia in cauſa fuit, ut fieret.* Nempe *Quid Futurum?*

licet ipſum Futurum non detur nunc in ſe, actu ipſa tamen Futuritio rei ſive abſoluta, ſive conditionata eſt in ſe intrinſece actu ab æterno, licet non abſolute neceſſario, cùm Deus libere decernat, ut aliquid ſit futurum abſolute, nec neceſſario prævideat id, quod eſt futurum conditionate. Et ratio eſt, quia ipſa Futuritio abſoluta Antichriſti, verificat ab æterno, licet non abſolute neceſſario hanc propoſitionem: *Antichriſtus eſt actu futurus*. Et ſimiliter dicendum de futuritione conditionata actûs noſtri liberi. Ergo debet dari actu ab æterno, licet non abſolutè neceſſariò id, cum quo identificetur iſta futuritio abſoluta, vel conditionata; hoc autem non eſt aliud niſi Decretum liberum Dei, cum quo identificatur in re, futuritio abſoluta, aut ſcientia media, cum qua identificatur futuritio conditionata eventuum noſtrorum liberorum. Videatur P. Anton. Perez acute, ut ſolet, hac de re ex Auguſtino diſcurrens Tract. 1. de Deo diſp. 3. c. 4. § 8. Nos etiam fuſe de hoc puncto diſſerimus in qq. de Deo diſp. 4. tota qu. 8.

PUNCTUM V.

Illatio de Diſtinctione Eſſentiæ ab Exiſtentia in creatis.

§ XVI. Tandem ex dictis hactenus patet, in quo ſenſu eſſentia rei creatæ diſtinguatur realiter ab ejus exiſtentia. Id enim verum eſt ſi ſermo ſit, de eſſentia rei creatæ ſumpta pro ſtatu illo quidditativo rerum, quem diximus eſſe ipſam eſſentiam Divinam; vel certè ſi eſſentia creata ſumatur cum hac reduplicatione, quatenus continetur in virtute activa Dei: non eſt enim dubium eſſentiam Dei & virtutem activam ipſius diſtin-

diſtingui realiter ab exiſtentia creaturæ. Et in hoc ſenſu dicitur etiam Eſſentia creaturæ eſſe ingenerabilis, incorruptibilis, æterna, quorum nihil convenit exiſtentiæ creatæ. Ceterùm ſi eſſentia creaturæ ſumatur pro prædicato, quod creaturam formaliter primò conſtituit in ſeipſa intrinſecè, & diverſificat ab aliis omnibus; ſine dubio eſſentia creaturæ identificatur realiter cum ejus exiſtentia. Nihil enim eſt aliud exiſtere, quàm eſſe aliquid tale in ſeipſo intrinſecè, & non ſolùm in intellectu, vel in potentia activa ſuæ cauſæ; quia hoc modo eſſe, eſt plus, quàm eſſe purè in cauſa. quod explicatur per Tò. *In ſeipſo intrinſecè*: quidquid autem eſt plus ſupra purum eſſe in cauſa, pertinet ad conſtituendam actualitatem & exiſtétiam rei; non enim pertinet ad faciendum, quòd res poſſit eſſe præcisè, ſed ad faciendum aliquid ultra, atq; nihil ultra poſſe rei intelligitur, niſi ejus exiſtentia. Sed jam ad obiectiones contra determinatam veritatem ſolvendas veniamus.

In quo ſtſu diſtinguatur realiter eſſentia creata ab exiſtentia.

PUNCTUM VI.

Satisfit argumentis initio Quæſtionis propoſitis.

Ad 1. Sicut eadem roſa, quæ eſt à parte rei, exiſtens, eſt etiam in intellectu cognoſcente ipſam; & tamen in intellectu, eſt tantùm intentionaliter ac denominativè à cognitione, cùm à parte rei exiſtens, ſit phyſicè roſa: ita licet idem ſit Petrus hodie exiſtens, qui fuit ante mille annos poſſibilis, tamen nunc eſt talis in ſe intrinſecè, ante mille annos fuit tàlis ſolùm in potentia activa ſuæ cauſæ, & denominatvè ab ipſa. Poſſunt enim eidem, quatenus eſt in diverſis ſtatibus, di-

verſimodè convenire prædicata; alioquin etiam Petro ante creationem mundi, deberent convenire prædicata actualitate exiſtentiæ ſicut ei hodie conveniunt. Si autem Petrus ante mille annos non fuit in ſe intrinſecè talis, ſicut eſt modò; Ergo non fuit etiam in ſe intrinſecè diſtinctus realiter à Deo; quia diſtingui ſequitur ad eſſe.

Ad 2. Ens purè poſſibile v. g. Antichriſtus, in recto & ſpecificativè, non eſt Omnipotentia DEI productiva ipſius, (niſi reduplicativè ſumatur, ſeu quoad formam illam à qua denominatur poſſibilis, item quoad æternitatem, neceſſitatem, & ſimilia prædicata, quæ dicit in obliquo.) Non eſt etiam purum nihil, id eſt negatio omnis entis: ſed potiùs quamvis ſit nihil actuale, nec ſit aliquod ens in ſe intrinſecè; eſt tamen ens poſitivum, ſubſtantia, vivens, animal, homo, poſſibiliter, id eſt in potentia activa cauſæ primæ, & denominativè ab ipſa, quatenùs potente Antichriſtum producere, eodemq; modo, quo eſt ille, diſtinguitur etiam realiter ab Omnipotentia DEI. Cum ergo Omnipotentia terminetur ad Antichriſtum poſſibilem ſpecificativè & in recto ſumptum, non terminatur ad ſeipſam, nec ad purum nihil, ſed ad aliquod ens poſitivum realiter ab ipſa, poſſibiliter tamen & denominativè à potentia Divina productiva ipſius, diſtinctum, hoc eſt ad aliquid diſtinctum realiter ſecundum id, quod licet non ſit in ſe intrinſecè, concipitur tamen à nobis in recto in denominatione proveniente à potentia Divina productiva ipſius, tanquam à forma denominante. Quod ipſum declaratur paritate objecti cogniti: ſicut enim mons aureus, aut Hircocerus à me cognitus, licet non ſit plus aliquid in ſe intrinſecè

quam

quàm cognitio ipſius, eſt tamen aliquid plus intentionaliter, & denominativè ab ipſa cognitione; & ideò cognitio terminata ad montem aureum aut Hircocervum, non terminatur ad ſeipſam nec ad purum nihil, ſed ad aliquid, quòd eſt intentionaliter, & denominativè ab ipſa diſtinctum: ita pariter ens purè poſſibile, quod eſt terminus Divinæ potentiæ, ſupra potentiam Divinam dicit aliquid plus poſſibiliter, & denominativè ab ipſa diſtinctum. Neq; dicas: Etiam objectum, cùm ſit cauſa cognitionis juxta illud, *Ex obiecto & potentia paritur notitia*, debere eſſe prius cognitione, & ſic non eſſe meram denominationem extrinſecam à cognitione. Primò enim ſaltem reſpectu Divinæ cognitionis, quæ eſt incauſata, objectum creatum non eſt cauſa. Deinde etiam reſpectu cognitionis creatæ, non omne objectum eſt cauſa, ſed tantum objectum motivum: & de tali objecto debet accipi allatum Axioma. Alia eſt ratio de viſibili reſpectu potentiæ viſivæ, & de ſimilibus denominationibus: Tum quia denominatio viſibilis, non eſt prima, ſed ſecunda denominatio, ſupponens exiſtentiam rei, quæ dicitur viſibilis, immò ſupponens in ipſa re etiam qualitatem intrinſecam, puta colorem, ſine quo res non eſſet proximè viſibilis: Tum quia viſibile, cùm ſit cauſa motiva potentiæ viſivæ, debet præſupponi in ſe intrinſecè independenter à potentia viſiva; At denominatio poſſibilis eſt prima omnium, antecedens exiſtentiam rei, quæ dicitur purè poſſibilis, nec eſt cauſa præſuppoſita ante potentiam Divinam productiuam rerum; unde non debet eſſe aliquid in ſe intrinſecè diſtinctum à Potentia DEI activa, ſicut eſt diſtinctum viſibile à potentia viſiva.

Ad

Ad 3. Etiam de objecto purè cognito, deq; ipſa cognitione, verificantur oppoſita prædicata: cognitio enim eſt actus vitalis, inhærens animæ, non autem objectum; quod tamen eſt denominatio merè extrinſeca à cognitione. Poſſunt ergo oppoſita prædicata convenire formæ denominanti, & ipſi denominationi extrinſecæ, quatenùs hæc, licet nihil ſit in ſe intrinſece, præter formam denominantem; ſignificat tamen aliquid aliud in recto, vel purè à nobis conceptum, vel etiam contentum in potentia activa ſuæ cauſæ. Et ratio eſt, quia ut duobus terminis complexis eadem tribuantur prædicata, non ſatis eſt, eadem adæquate objecta quomodocunque ſignificari per utrumque terminum complexum; ſed opus eſt ut idem in recto ſignificetur objectum per utrumq; terminum; ſiquidem in omni prædicatione, attenditur ad identitatem recti inter ſubjectum & prædicatum; quod norunt etiam anniculi Philoſophi. Et hac de cauſa, licet hi termini complexi: *Petrus habens veſtem:* & *veſtis habita à Petro,* eadem prorſus ſignificent objecta, nempe Petrum, veſtem, & habitionem veſtis; tamen de ſecundo termino dicitur quod ſit Ens artificiale, quod negatur de primo; quia ſcilicet non idem in recto ſignificatur utrobiq;. De quo dicetur etiam infra diſp. 4. q. 2. Licet ergo idem ſit ex parte objecti quomodocunq; ſignificati. *Potentia Dei productiva Antichriſti, & Antichriſtus producibilis à potentia Dei,* quia tamen non idem realiter rectum, uterq; iſte terminus complexus importat, ideò oppoſita prædicata meritò tribuuntur utrique.

Si varietur rectũ ex parte ſubjecti, variatur prædicata.

Ad 4. Concedimus in omnibus propoſitionibus neceſſarijs, quæ fiunt de eſſentijs rerum creatarum

tarum

tarum, ſemper affirmari ex parte obiecti, implicitè exiſtentiam & eſſentiam Diuinam, hoc eſt non ſub expreſſo conceptu Diuinitatis, omnipotentiæ &c. ſed ſub conceptu Poſſibilitatis creaturarum, æternæ, Neceſſitatis, Immutabilis veritatis, vel ſub aliquo ſimili conceptu realiter cònuertibili cùm Divinitate; dicimus tamen affirmari ſolùm indirectè & in obliquo. Sicut enim in hac propoſitione: *Petrus ſapienter loquitur*, affirmatur indirectè ſapientia Petri: ita ſimiliter in hac v. g. propoſitione: *Homo eſt neceſſariò, immutabiliter, ab æterno, animal rationale*, affirmatur indirectè exiſtere Neceſſitas, Immutabilitas, Æternitas, (quæ reipſa, eſt ſola Divinitas, ut probatum eſt,) ratione cujus homo ſit animal rationale. Hinc verò patet primò præeminentia propoſitionis ſcientificæ ſupra alias; quia ſcilicet illa ſemper implicitè attingit DEUM. Patet rurſus ex qualibet propoſitione ſcientificâ poſſe probari exiſtentiam DEI, ſub conceptu entis neceſſarii, & immutabilis veritatis. Patet ulterius, non opus eſſe, ut, quoties formamus propoſitiones in materia neceſſaria, ſemper cogitemus de DEO ſub conceptu expreſſo Deitatis, ſed ſatis eſt cogitare ſub aliquo conceptu realiter convertibili cum DEO. Patet præterea propoſitiones ſcientificas, quæ formantur de diverſis ſubjectis, differre objecto terminativo, & directè ſignificato; licet omnes conveniant objecto verificativo ipſarum, indirectè ſignificato, quatenus omnes affirmant eandem neceſſitatem & actualitatem æternam, nectentem terminos propoſitionis. Immo propoſitionum ſcientificarum diverſarum, ſunt etiam in nobis diverſa motiva formalia, nempe vel termini ipſi apprehenſi, ſi pro-

In omni propoſitione ſcietifica affirmatur Deus.

poſitio eſt per ſe nota; vel principium, ex quo deducitur propoſitio, ſi non eſt per ſe nota. Patet demum diviſionem Entis ut ſic, in DEUM & creaturam poſſibilem, eſſe in membra adæquatè diſtincta, ſi ſpectetur rectum, quod ſignificatur in utroque membro diviſionis. Non requiritur tamen dari in ſe intrinſecè diſtincta inter ſe recta in utroq; membro ſignificata: diviſio enim hæc, cùm ſit opus rationis, contenta eſt, ſi unum diviſionis membrum ſit in noſtro tantùm intellectu apprehendente, & per denominationem extrinſecam ab altero membro: quod etiam contingere in diviſione Entis ut ſic, in ens reale & chimericum, debent fateri Adverſarii: certè enim ens chimericum non eſt in ſe intrinſecè à parte rei.

Ad 5. Conſtat in denominationibus cogniti & voliti, quòd denominatio extrinſeca poſſit cadere in ſubjectum, quod non ſit in ſe intrinſecè: ſæpe enim cognoſcimus & appetimus ea quæ nec ſunt, nec eſſe poſſunt in ſe intrinſecè. Deinde hoc ſpeciale tribuendum eſſet Formæ Primæ denominanti, qualis eſt Omnipotentia DEI, quòd non præſupponat eſſe in ſeipſo intrinſecè ſuum ſubjectum quod denominat, nempe purè Poſſibile: cùm præſertim hoc concretum, de quo agimus non ſit phyſicum, ſed Logicum.

Non in omni denominatione datur ſubjectū in ſe intrinſecè.

Ad 6. Negatur minor propoſitio. Primam ejus probationem diſtinguo: Antichriſtus, in ſuis prædicatis eſſentialibus habentibus ſuum eſſe in ſeipſis, non repugnat, nego quod dicitur: in ſuis prædicatis eſſentialibus habentibus ſuum eſſe per meram denominationem extrinſecam à cauſa prima, concedo quod dicitur: & ſic etiam aſſero eſſe poſſibilem. Ad ſecundam minoris

præ-

probationem dico, has propoſitiones: *Antichriſtus per ſeipſum intrinſecè non repugnat: Antichriſtus per ſeipſum intrinſecè repugnat*, non eſſe contradictorias, & utramq; eſſe falſam, perinde ac falſa eſt utraq; ex his: *Homo accidentaliter eſt irrationalis. Homo accidentaliter non eſt irrationalis.* Nam juxta Summuliſtas, in contradictoriis modalibus, (quales ſunt prædictæ omnes propoſitiones) ut negativa ſit contradictoria, totumq; neget quod affirmat affirmativa, negatio debet præfigi ipſi modo & non tantum copulæ: quod tamen in prædictis propoſitionibus non ſervatur, ut patet. Sic ergo in caſu noſtro formari debent contradictoriæ: *Antichriſtus per ſeipſum repugnat: Antichriſtus per ſeipſum non repugnat*, & jam ſecunda erit vera, ſi tamen ſumatur non infinitanter, ſed neganter, uti ſumi debet; hunc enim faciet ſenſum: *Falſum eſt quod Antichriſtus per ſeipſum intrinſecè repugnet*, quod utiq; verum eſt. Ad confirmationem ſimiliter dico: Antichriſtum eſſe eſſentialiter & intrinſecè animal vivens &c. hoc eſt per intrinſecam identitatem ſui cum animali, non tamen competentem Antichriſto in ſeipſo, ſed purè contentam in cauſa productiva talis identitatis intrinſecæ, quæ proinde ſit tantum denominativè à ſua cauſa. Itaq; iſta identitas Antichriſti cum animali, hanc propoſitionem: *Antichriſtus eſt animal*, verificat tantùm Logicè & denominativè ab Omnipotentia DEI, ac ratione alterius; ipſa verò Omnipotentia eandem propoſitionem verificat phyſicè & ratione ſui, tanquam cauſa nunc actu exiſtens, & neceſſitas actualis identitatis inter Antichriſtum & animal ſub conditione productionis ipſius. Oportet enim, ut quando extrema identitatis

titatis actu in ſeipſis non dantur, ipſa cauſa ex-
trinſeca inducens neceſſitatem talis identi-
verificet propoſitionem talium extremo-
mutuò de ſe affirmativam, ut probatum eſt
corpore.

Ad 7. Deus quantùm eſt ex ſe, nequit eſſe a-
mens, miſer, & artifex operis dedecentis ip-
ſicut quantùm eſt de ſe, non poteſt pecca-
grotare, occidere Spiritum S. &c. Si au-
faceret chimeram, eſſet amens, quia pone-
cujus vellet negationem,(utrumq;enim dic-
mera;) eſſet miſer, quia volendo v. g. po-
hircum, non poneret ipſum, ſed negatione-
hirci; eſſet artifex dedecentis, quia effici-
opus, efficeret deſtructionem ipſius, pone-
alterum contradictorium. Non poteſt ergo
us, quantùm eſt ex ſe,facere chimeram,& ſic
teſt à ſuo non poſſe producere chimeram,
minare extrinſecè eandem impoſſibilem
verò pertinet ad perfectionem Divinæ pote-
poſſe facere chimeram ſub conditione, ſi
poſſibilis, ſicut non poſſe producere 3tam
ſonam Divinam, vel poſſe occidere Spiritu-
ſub eadem conditione. Poteſtas enim cond-
nata ſolùm datur in aliquo, quando is ma-
cum ſuſpenſione, & indifferentia ad cond-
nem: Deus autem non eſt, quantùm de ſe, in-
ferens, ut implicet vel non implicet chim-
cùm ipſum, eſſe chimeram, ſit formaliter im-
care. Potiùs ergo non poſſe facere chimera-
in Deo re ipsâ, eſt ſummum poſſe, oriturq;
abundantia potentiæ activæ, non ſecus, ac n-
poſſe mori, non poſſe deſtruere tertiam Per-
nam Divinam &c. ſolùmq; grammaticaliter
perfectio Divina vocatur Non poſſe. Nec de-

Deusquã-tum ex ſe non poteſt facere chi-meram vide diſp. 4. qu. 1. ad 5tam.

vocari

Google

vocari Impotentia, quia hoc nomen impoſitum eſt ad ſignificandum defectum virtutis activæ in cauſa non continente perfectionem alicujus effectus, quam certè perfectionem nullam dicit chimera; quia ſi quam importat per unum termi num, ſimul eam deſtruit per alium contradictorium. Immo poſſe facere chimeram, eſt impotentia, & defectus potentiæ; eſt enim defectus potentiæ intendendo efficaciter effectum, non poſſe impedire deſtructionem effectûs; quod tamen contingeret ei, qui faceret chimeram, utpote conſtantem ex terminis mutuò ſui deſtructivis. Ad illud quod dicitur. Deficiente DEO, chimeram adhuc fore impoſſibilem; dico in tali caſu; chimeram non fore formaliter & neganter impoſſibilem, quia deficeret forma impoſſibilitatis, & excluſivum chimeræ; fore tamen non poſſibilem præciſivè, quatenùs in tali caſu ficto, poteſt intellectus concipere id,quod eſt chimera v.g. Hircum& cervum ut ſubſtantes judiciocompoſitivo iſtorum terminorum, præſcindendo an hoc ſit poſſibile. Cæterum hoc argumētum premit etiam Adverſarios, in illo caſu ficto, in quo tolleretur forma denominans tam poſſibile, quàm impoſſibile,quæ per ipſos eſt aliquid extra Deum; quæro enim: an tunc chimera eſſet poſſibilis vel impoſſibilis? & quod ipſi dixerint, dici poterit in noſtra ſententia proportionaliter.

Et hoc eſt ſummum poſſe

Ad 8. Argumentum procedit de forma ſimplici ſecunda, & cauſata, non autem de tali, quæ ſit ſimul cauſa prima & idea rerum omnium, qualis eſt DEI Omnipotentia; hæc enim cum ſit in omni genere prima non ſupponit diverſitatem in rebus, ſed illam primò facit, & denominat poſſibile, vel, impoſſibile, talique mo-

do vel tali poſſibile, quatenus ſcilicet continet aliquid, vel non continet, aut tali vel tali modo continet in ſua virtute activa: non tamen nego diverſum in intellectu ſubjectum, quod denominatur impoſſibile, ab eo, quod denominatur poſſibile. Nam ſubjectum, quod dicitur impoſſibile, eſt hircus & cervus ſubſtantes judicio falſo: ſubjectum autem, quod dicitur Poſſibile, eſt hircus 2dum ſe, cognitus & cervus 2dum ſe, cognitus. Et ideo ratione noſtra, prius eſt Intelligibile, quàm Poſſibile vel Impoſſibile; & hæc 2da denominatio cadit ſupra primam.

Ad 9. Inter Omnipotentiam Dei ex una parte, & inter Poſſibilitatem creaturæ, ac Impoſſibilitatem chimeræ ex alterâ parte, fateor nullam dari prioritatem realem & objectivam; nam iſta omnia ſunt idem ex parte objecti, cum ſola diverſitate in apprehendendo. Immo ex natura rei, & reſpectu intellectus perfecti, prior eſt conceptus Omnipotentiæ, quàm Poſſibilitatis & Impoſſibilitatis. Per accidens tamen & ex imperfecto modo noſtro concipiendi, prius eſt eſſe creaturam poſſibilem, & chimeram impoſſibilem, quàm dari Omnipotentiam Dei productivam creaturæ & non productivam chimeræ; quia cùm nos prædicata Divina cognoſcamus ex & in creaturis, ideò prior eſt in nobis conceptus, quo apprehendimus conſonantiam vel diſſonantiam prædicatorum creatorum, quam conceptus, quo cognoſcimus Deum, quatenùs continentem vel non continentem aliquid in ſua activitate. Quapropter in illis cauſalibus, quæ opponuntur in hoc argumento: Tò *Quia*, non denotat ullam obiectivam prioritatem ſed tantum prioritatem noſtrorum formalium conce-

ptuum de eodem in re,objecto, & quidem denotat prioritatem reſpectu noſtri imperfecti intellectus, ſimilem illi, qualis denotatur in hac cauſali: *Ideò Homo eſt rationalis quia eſt riſibilis*. Et ſanè cum Omnipotentia Dei ſit prima ratio & Idea rerum omnium, fruſtra requiritur ejus ratio objectivè prior; aliàs priùs eſſet ideatum, quàm Idea; prior numerus, quàm unitas; & quod eſt magis abſonum, ſi prima ratio, cur Deus poſſit facere muſcam? eſſet eſſentia muſcæ habens aliquod eſſe diminutum extra Deum; ſequeretur quòd prima ratio, cur Deus poſſit aliquid facere, non eſſet intellectus perfectiſſimus & voluntas optima, ſed quædam entitatula plusquàm cæca, fatua, mortua, & ſic prima rerum omnium ratio eſſet veluti caſus,vel fatalis neceſſitas,id eſt aliquid præcedens omnem diſpoſitionem intellectûs & voluntatis, ne dicam Idea Platonica. Concludendum ergo eſt verbis Auguſtini: *Tota ratio facti, eſt potentia facientis*, & in hac potiùs tanquàm in prima rerum omnium cauſa ſiſtendum, quàm in ente aliquo diminu.o eſſentiæ creatæ, ſive abſoluto, ſive conditionato, in quo tandem ſiſtere coguntur Adverſarij, non valentes ulteriorem etiam ipſi dare rationem, ſi ex illis pariter quæratur: cur muſca ſit poſſibilis & non Hircocervus? Addo ilud inſuper, poſſe etiam per nos dari priorem ex modo noſtro concipiendi rationem, cur Deus poſſit facere muſcam & non Hircocervum? nempe hanc: quia Deus continet eminenter omnem perfectionem, quam dicit muſca, non autem continet perfectionem Hircocervi; cujus ultima ratio eſt; quia talis eſſentia Omnipotentiæ. Vide plura de hoc Diſp. 4. de Deo qu. 4. ad 2dum.

Quæ ratio: cur Deus poſſit aliquid facere?

Ad ultimum: Ex dictis tota hac Quæſtione, conſtat, quòd etiam Poſſibilitas illa peccati, quæ eſt à parte rei in ſe intrinſecè æterna ac ſimpliciter neceſſaria ſeu indefectibilis, ſit in re, ipſa Potentia Dei quatenùs permiſſiva peccati quamvis non cauſativa; quodq; conſequenter ſit purum bonum, ac proinde neceſſariò amabilis à Deo. Hæc enim probant quæ diximus. Cæterum quia hæc poſſibilitas peccati non ſolùm eſt diſtincta realiter à peccato, quod ab ipſa denominatur poſſibile ab æterno, eſtq; eidem peccato extrinſeca, ut liquet ex dictis, ideo falſum eſt, quod peccatum poſſibile ſit Deus. Immò hæc Poſſibilitas, (ut acutè obſervat Perez de voluntate Dei diſp. 5. c. 1.) eſt omnino contraria & inimica peccato, ſiquidem hujuſmodi Poſſibilitas peccati eſt debitum, & convenientia, ac ipſa lex æterna, ne fiat peccatum; unde manifeſtè non ſequitur, quod Deus amando hujuſmodi poſſibilitatem, amet peccatum poſſibile ſpecificativè ſumptum, Sic enim etiam dum amatur lex, prohibens violationem, non ideo amatur violatio legis, licet lex ſit quædam poſſibilitas violationis, (nam ubi nulla lex, ibi nulla eſt poſſibilis violatio,) quia ſcilicet lex, eſt poſſibilitas violationis inimica ipſi violationi.

De poſſibilitate peccati

Alias plures objectiones contra dicta in hac quæſtione, alibi à nobis ſolutas vide, in q.q. ſel. ad 1. par. qu. 3. & in q.q. de Deo diſp. 4. q. 8. pag. 311. Hic tantum adverto, aliquos fateri, Poſſibilitatem æternam contingentium, adeoq; & peccati, phyſicè eſſe ipſam Omnipotentiam, non tamen metaphyſicè in ſe intrinſecè à parte rei. Sed nos quærimus ex iis: cur ſit abſurdum dicere quod Antichriſti, vel peccati poſſi-

poſſibilitas illa æterna, à parte rei intrinſecè, & in ſe ſit Omnipotentia, non ſit autem abſurdum dicere, quod phyſicè iſta poſſibilitas ſit Omnipotentia? non enim minus eſt, eſſe aliquid phyſicè Omnipotentiam, quam eſſe à parte rei in ſe intrinſecè Omnipotentiam. Deinde quærimus: quomodo aliquid ſit tantum metaphyſicè, & tamen ſit à parte rei, in ſe intrinſecè? cum ſtatus metaphyſicus ſit per rationem.

DISPUTATIO II.
De Non Ente.

QUONIAM contrariorum eadem eſt ſcientia, ut magis eluceſcat ratio Entis, agendum hoc loco de Non Ente ſeu de Negationibus rerum. Et de his quæruntur 4. Primò, An dentur nemine cogitante? Secundò, An diſtinguantur à parte rei ab omni Ente poſitivo? Tertiò, Quid ſint Negationes æternæ? Quartò, Quid temporales.

QUÆSTIO I.
Utrùm dentur nemine cogitante Negationes & Privationes rerum?

VIdentur non dari, 1. quia ut verificetur hæc propoſitio, *Antichriſtus non exiſtit*, ſufficit præciſè, ut Antichriſtus non exiſtat à parte rei: Ergo non eſt neceſſe, ut ad verificandam hanc propoſitionem, aliquid detur à parte rei. Tum ſic: Sed hæc propoſitio verificatur per Negationem Antichriſti: Ergo Negatio Antichriſti non datur à parte rei.

2. Et eſt confirmatio præcedentis. Quamvis ad propoſitionem affirmativam verificandam, requiratur, ut objectum ejus detur à parte rei, ſi-

quidem per ipſam affirmatur dari à parte rei: tamen ad propoſitionem negativam, hoc non requiritur; propoſitio enim negativa v. g. hæc: *Antichriſtus non exiſtit*, non affirmat quidquam dari à parte rei, ſed tantùm intentionaliter recedit à ſuo obiecto, per modum fugæ. Cum igitur Negatio alicujus, ſit objectum verificativum propoſitionis negativæ, non eſt opus ut detur à parte rei.

3. Si nec Deus, nec quidquam aliud daretur à parte rei; tunc maximè verum eſſet, *Res non exiſtunt à parte rei*; tunc autem nihil ſupponitur dari à parte rei: Ergo rem non exiſtere à parte rei, non eſt dari aliquod excluſivum ipſius.

§ I. *Reſpondetur.* Ut clariùs procedatur in tota hac diſputatione, diſtinguenda eſt imprimis *Diviſio negationis* Negatio in objectivam & intentionalem: Hæc eſt ipſa propoſitio negativa: prior verò, eſt objectum ipſius. Et de hac Negatione objectiva, ſermo nobis deinceps erit. Rurſus Negatio objectiva poteſt ſumi activè & paſſivè. Activè ſumpta, eſt id, quod formaliter removet, & excludit aliquid; Paſſivè ſumpta eſt id, quod formaliter removetur, & excluditur. Privatio ſuper meram negationem, addit capacitatem ſubjecti ad *Quid ſit Privatio?* habendam formam, quæ negatur. Et quidem hæc capacitas eſt intrinſecum conſtitutivum Privationis, & non tanquam extrinſecum connotatum licet ſignificetur in obliquo. Quia alioquin remota capacitate ſubjecti præcisè, & remanente negatione v. g. Gratiæ, remanerent omnia conſtitutiva intrinſeca privationis gratiæ, & ſic remaneret tota privatio gratiæ. Totum enim manet remanentibus præcisè omnibus, & ſolis ſuis conſtitutivis intrinſecis, à quib⁹ non diſtinguitur

Digitized by Google

utiq; realiter. Porrò ſequela eſt abſurda. Quia ob defectum capacitatis ſubjecti, negatio gratiæ, quæ in ſtatu elevationis eſt gratiæ privatio, in ſtatu puræ naturæ non eſſet privatio.

Sciendum verò eſt, iſtam aptitudinem aliquando eſſe in ſubjecto ſecundùm genus ſuum conſiderato; quo pacto in talpa dicitur eſſe privatio viſus; quia ſcilicet animal poteſt videre: aliquando eſſe in ſubjecto, ſecundùm ſpeciem conſiderato, non tamen ſecundùm omnes circumſtantias loci, temporis &c. ut cùm infans dicitur eſſe privatus dentibus, quos ſcilicet poteſt habere pro alio tempore; aliquando verò eſſe in ſubjecto ſecundùm ſpeciem & omnes circumſtantias conſiderato, ut cùm homo privatur gratia per peccatum.

§ II. His poſitis. *Dicendum eſt* contra aliquos quos citat & ſequitur P. Izquierdo in Pharo ſcien: diſp: 9. qu. 3. dari nemine cogitante Negationes & privationes rerum. Ratio eſt. Quia quod habet nemine cogitante aliquam denominationem, habet illam ab aliquo, quod detur nemine cogitante; ut patet tum ex inductione univerſali: tum à priori; quia effectus formalis non diſtinguitur à ſuâ causâ formali, ideoq; hujus ſequitur conditionem. At nemine cogitante Antichriſtus modo habet denominationem non exiſtentis ſeu excluſi, Petrus denominationem Mortui, ſeu Carentis vitâ, aër noctu denominationem Tenebroſi, ſeu non illuminati. Ergo hæc ſubjecta habent iſtas denominationes ab aliquo quod detur nemine cogitante, nempe à non exiſtentia, ſeu excluſione exiſtentiæ, à Morte, à Tenebris, quæ ſunt negationes. Quapropter licet nunc ipſe Antichriſtus non detur à parte

Dari à parte rei Negationes probatur primò.

rei, nec lux noctu in àëre: ipſa tamen excluſio Antichriſti formalis, ipſaq; privatio lucis noctu, datur à parte rei, ſecluſa omni operatione intellectus noſtri. Nimirum non ſolùm in denominationibus poſitivis valet, debere dari à parte rei id, à quo ſumitur denominatio, ſi ipſa denominatio datur à parte rei; ſed etiam idem valet in denominationibus negativis. Eatenus enim non poteſt, v.g. aliquid denominari nemine cogitante Album, niſi detur albedo à parte rei, quia albedo eſt conſtitutivum intrinſecum in eſſe albi, atq; nihil poteſt dari à parte rei, niſi dentur à parte rei, omnia ejus intrinſeca conſtitutiva, cum quibus adæquatè identificatur, ne dicatur idem ſine ſe ipſo dari à parte rei ſed etiam privatio lucis eſt intrinſecum conſtitutivũ àëris in ratione tenebroſi; Ergo pariter non poteſt àër à parte rei eſſe in ratione tenebroſi, quin dentur à parte rei tenebræ, ſeu privatio lucis; alias dabitur à parte rei, conſtitutum negativum nempe Tenebroſum, quin dentur à parte rei, omnia ſua conſtitutiva intrinſeca negativa, cùm quib⁹ idem eſt adæquatè ipſum conſtitutum negativum, id eſt, quin detur ipſum conſtitutum negativum, quod aperte implicat. Eadem autem eſt ratio de quibuſcunq; aliis Negationibus conſtituentibus formaliter ſubjectum in ratione Excluſi.

§ III. Accedit quòd omnis propoſitionis veræ debeat dari à parte rei, aliquod objectum verificativum; cùm omnis propoſitio ſit vera per conformitatem ad ſuum objectum, eatenùſque ſit vera, quatenùs ejus objectum tali modo datur à parte rei, quali enuntiatur per ipſam. Quod quidem univerſaliter eſt accipiendum, tam de propoſitione affirmativa, quàm de negati-

gativa: Dicit enim univerſaliter Philoſophus 9. met. tex. 21. *Verum dicit, qui diviſum dividit,* (en propoſitionem negativam) *& compoſitum componit, falſum autem, qui contra, quàm ſe res habeant:* & univerſaliter veritas præciſa à propoſitione affirmativa & negativa definitur: *Conformitas ad obiectum*: Tum ſic: atqui objectum verificativum propoſitionis negativæ, eſt Negatio objectiva, v. g. verificativum hujus propoſitionis, *Antichriſtus non exiſtit,* non eſt aliud, niſi Non exiſtentia Antichriſti: Ergo datur à parte rei Negatio objectiva, & quidem adæquatè diſtincta ab operatione intellectus noſtri; alias propoſitio negativa, ideo eſſet vera, quia objectum ejus daretur in noſtro intellectu; quâ ratione poſſet evadere vera quæcunq; propoſitio chimerica. *Probatur ſecundo.*

§ IV. Accedit rurſus, quòd oppoſito contradictoriè modo, ſe habet Negatio Petri, dum Petrus exiſtit, & dum Petrus non exiſtit. Cum igitur Petro exiſtente, verum ſit dicere: *Non datur à parte rei Negatio Petri,* verum utiq; erit dicere Petro non exiſtente, *Datur à parte rei Negatio Petri*: hæc enim ſecunda propoſitio eſt contradictoriè oppoſita primæ. vide has rationes inſtauratas in q.q. de Deo diſp. 5. qu. 4. pag. 358. *Probatur tertiò.*

§ V. Atq; ex his refellitur etiam ſententia Aureoli, Soti, Moncæi, apud Comptonum d. 13. Log. ſect. 1. dicentium: Negationes rerum, eſſe ipſas res poſſibiles, quatenus connotant propoſitionem negativam veram. Refellitur inquam, quia etiamſi nemo formet propoſitionem negativam, adhuc Antichriſtus modò non exiſtit: Aer noctu eſt tenebroſus: Peccator caret gratiâ Dei. Nempe hæc propoſitio, *Aer eſt tenebroſus* ſeu non *illumi-* *Negatio non eſt Ens poſſibile connotans*

Propoſitio- *illuminatus*, debet habere objectum verificati-
nem nega- vum extra ſe, nec eſt reflexa, ſed directa, quod
tivā verā tamen fieri non poſſet, ſi tenebræ conſtituerentur partialiter per connotationem propoſitionis negativæ. Unde dicitur Gen. 1. *Tenebræ erant ſuper faciem abyſſi* quod utiq; nemine cogitante, verum fuit.

Ad 1. ergo. Conceſſo Antecedente, negatur conſequentia; quia ut Antichriſtus nunc à parte rei non exiſtat, debet dari à parte rei Non exiſtentia ejus, utpote denominans Antichriſtum à parte rei non exiſtentem, & verificans propoſitionem negativam de exiſtentia Antichriſti, ut dictum eſt.

Ad 2. Propoſitio negativa v. g. hæc, *Antichri-*
Omnis *ſtus non exiſtit*, ita negat directè ſuum objectum
propoſitio exiſtere, ut indirectè affirmet dari Non exiſten-
negativa tiam ſui objecti, à qua hoc denominetur non exi-
aliquid ſtens: ſicut hæc propoſitio, *Petrus eſt albus*, affir-
affirmat mat indirectè dari albedinem, à qua Petrus dici-
indirectè? tur albus. Rurſus illa propoſitio negativa affirmat indirectè ſe eſſe veram, ac proinde requirit dari à parte rei verificativum ſui. Immo hinc tale ſumitur argumentum pro noſtra poſitione: Negatio intentionalis, ſeu propoſitio negativa, ita deſtruit intentionaliter ſuum objectum, ut non deſtruat ſeipſam, ſed ponat ſe intentionaliter. Ergo etiam Negatio objectiva v. g. Antichriſti, ita deſtruit à parte rei Antichriſtum, ut non deſtruat à parte rei, quin ponat ſeipſam. Sicut enim ſe habet intentionaliter negatio intentionalis, ad id, quod in mente negat, & ad ſeipſam: ita ſe habet à parte rei negatio objectiva, ad id, quod negat à parte rei, & ad ſeipſam.

Ad 3. Si nec Deus nec quidquam daretur à

parte

parte rei, & verum eſſet, res non exiſtere à parte rei, (ut ſupponit argumentum) & hoc ipſum non eſſet verum, quia nullum daretur verificativum talis propoſitionis. Immo in tali ſuppoſitione ficta, ſequeretur quòd nulla res exiſteret, ut ſupponitur, & quòd omnes res exiſterent, quatenus tollerentur omnia excluſiva rerum omnium, quibus ablatis, neceſſe eſt poni omnes res, cùm remotio unius contradictorii ſit poſitio alterius à parte rei. Sequitur ergo ex illa ſuppoſitione utrumq; & nihil ſequitur, & ideò ſuppoſitio implicat. Dici etiam poſſet, quòd in tali ſuppoſitione ſolùm ſequatur, res non exiſtere præciſivè, quatenus præſcinditur ab exiſtentia ipſarum, non autem ſequatur res non exiſtere in ſenſu negativo; non enim tunc propoſitio negativa poſſet per aliquid verificari. Cæterùm hujuſmodi argumenta ex ſuppoſitione impoſſibili, quibus multùm delectantur quidam RR. ſunt valde levia; nam ex impoſſibili ſequitur quodlibet, & nihil, niſi adhibeatur illa regula, quam dabimus diſp. 4. qu. 1. Porrò de mente S. Auguſtini & D. Thomæ nobis in hac quæſtione faventium. Vide, quæ dixi in qq. ſelectis ad 1m 2dæ qu. 3. pag. 200.

QVÆSTIO II.

Vtrùm Negationes diſtinguantur à parte rei ab omni Ente poſitivo?

Videtur quòd ſic 1. quia *Impoſſibile eſt idem eſſe, & non eſſe:* Sed Ens poſitivum, eſt eſſe rei, Negatio eſt, non eſſe rei: Ergo impoſſibile eſt Ens poſitivum eſſe Negationem. Confirmatur: quia ſaltem Negatio omnium entium, ſeu Non ens ut ſic, diſtinguetur ab omni ente reali, cui

contradictorie opponitur; ſiquidem termini contradictorii ſunt incompoſſibiles, & diſtincti inter ſe realiter.

2. Sicut propoſitio affirmativa opponitur negativæ; ita & objecta illarum opponuntur inter ſe, juxta illud Philoſophi cap. de oppoſitis: *Vt affirmatio, ſedet, negationi, non ſedet opponitur: ſic & res, quæ ſub utrumque cadunt, ſedere, inquam, & non ſedere*; Atqui hujus propoſitionis affirmativæ, *Antichriſtus exiſtit*, objectum eſt Ens poſitivum; hujus verò negativæ, *Antichriſtus non exiſtit*, objectum eſt Negatio Antichriſti objectiva: Ergo Ens poſitivum, & Negatio objectiva ſibi opponuntur, nec ſecum realiter identificatur.

3. Si Negatio eſſet ens poſitivum incompoſſibile cum re negata, nulla eſſet ſaltem ex parte objecti differentia inter terminos contrarios ex una parte v. g. hos *Album & Nigrum*, & inter terminos contradictorios ex alia parte v. g. hos *Album* & *Non album*; quia tam *Nigrum* quàm *Non album* ſignificaret Ens poſitivum oppoſitum albo. Ex quo ſequeretur inprimis intra terminos contradictorios dari medium, ſicut datur medium inter duos poſitivos ſibi oppoſitos. Sequeretur deinde vnius rei, plures dari Negationes contradictorias, ſicut dantur plures termini poſitivi, contrarii, alteri termino poſitivo; ſic enim odio Dei, opponitur & amor Dei, & decretum Dei nolens odium. Unde ulterius ſequeretur ex duobus contradictoriis, poſſe neutrum verificari, id eſt, nec dari exiſtentiam v. g. odii Dei, nec dari Negationem ejus; ſicut poſſet non dari odium, nec amor Dei, qui eſſet Negatio odii. Quæ tamen omnia ſunt contra Dialecticos.

4. Sicut docet Philoſophus 1. prior. c. vlt. Ex ter-

termino Negativo non poteſt inferri Infinitans; poteſt tamen è converſo: non enim valet: *Chimera non eſt alba, Ergo eſt non alba*; licet valeat: *Hoc eſt non album, Ergo non eſt album.* Porrò hæc doctrina Philoſophi falſa eſſet, ſi terminus negativus ſignificaret aliquod etiam vagè ens poſitivum, oppoſitum rei negatæ; hoc enim & eodem modo ſignificat etiam terminus Infinitans. Ergo terminus negativus non ſignificat aliquod etiam vagè ens poſitivum.

5. Non datur unus conceptus rei & Negationis rei. Atqui duorum entium poſitivorum incompoſſibilium, datur unus etiam univocè conceptus, ſicut reſpectu odii, & amoris, datur ratio generica Actûs vitalis ſpiritualis. Ergo res, & Negatio rei non ſunt duo entia poſitiva incompoſſibilia.

§ I. *Reſpondetur.* Communis ſententia, præſertim Antiquorum (qui tamen ſatis obiter, quod ſcio, hanc quæſtionem tractarunt) eſt. Negationes privationeſque rerum à parte rei, ſuo modo diſtingui ab omni ente reali poſitivo. Sed non convenit inter ipſos, quidnam ſint. Alii enim dicunt eas eſſe quædam entia abuſiva & diminuta, quam ſententiam eſſe inventam à P. Benedicto de Robles teſtatur P. Anton. Perez: dis 3. de Scien. Dei c. 4. Tellez diſp. 23. ſect. 6. dicit eas eſſe, entia realia negativa. Ruvius, quem ſequitur Pontius diſp. 5. phyſicâ dicit eas eſſe ens reale, non quidem poſitivum, ſed tale quod præcisè fundet propoſitionem negativam v.g. hanc, *Cæcitas eſt carentia viſûs:* vel ut alii loquuntur, tale, cui nullum aliud prædicatum conveniat, niſi hoc, *Excludere ſuum oppoſitum.* Suarez & Hurtado nolunt Negationes appellare

Aliorum Sententiæ de negationibus.

nomi-

nomine entis propriè: licet putent eas dari ſuo modo, à parte rei. Conimbricenſes volunt eas, eſſe ens rationis fundamentaliter, eò quòd præbeant fundamentum, ut eas concipiamus eſſe aliquid intrinſecum vel formæ, quam negant, vel ſubjecto, in quo negant. Omnes tamen hi conveniunt in hoc, quòd Negationes non identificentur à parte rei, ulli enti poſitivo.

§ II. Ego ab hac ſententia recedere cogor propter rationes, quarum aliquas hic de Negationibus in genere, alias in duabus ſequentibus QQ. ſpeciales de Negationibus in particulari proponam. Prima ratio eſt univerſalis: Negationibus excluſivis, ſive creaturarum, ſive chimerarum, (ſola enim Negatio DEI dari nequit,) quæ dantur à parte rei, conveniunt à parte rei, in ſeipſis intrinſecè, prædicata re ipsà convertibilia cum ente reali poſitivo, nempe eſſe Unum, Verum, Bonum. Convenit eſſe Unum, quia Negatio objectiva excluſiva v. g. Antichriſti, nemine cogitante, & pro priori ante omnem noſtram cognitionem, eſt indiviſa in ſe, & diviſa à Negatione alterius ſolis: quod eſt definitivè eſſe unum. Convenit eſſe Verum: quia eadem Negatio à parte rei habet hoc prædicatum, quòd ſit cognoſcibis ab intellectu, ita ſicut eſt: quod eſt definitivè eſſe verum. Convenit eſſe Bonum; quia omnes Negationes, exceptà ſolà Negatione conſtituente malitiam moralem peccati, (de quà tamen dicetur quæſtione 4tâ) ſunt prudenter appetibiles, & dantur à parte rei, DEO illas approbante, & volente, qualis eſt v. g. Negatio odii DEI; quod eſt definitivè eſſe Bonum. Ergo negationes excluſivæ rerum non diſtinguuntur à parte rei ab ente poſitivo. Nec ſatisfacit com-

Noſtra ſententia

Negatio excluſiva eſt quid à parte rei Unum Verum, Bonum poſitivè

munis

munis reſponſio: iſta prædicata, Negationibus excluſius convenire ſolùm negativè, non poſitivè. Primò enim, licet Negatio excluſiva Antichriſti ſit una, vera, bona, negativè, in hoc ſenſu, quatenùs excludit formaliter, & negat unitatem, veritatem, bonitatem Antichriſti; tamen quia ita negat Antichriſtum, ut non neget ſeipſam à parte rei, ſeu non neget ipſum *Excludere*, (aliàs eſſet negatio negationis & ſic ens poſitivum,) quin potiùs ponat ſeipſam à parte rei indiviſam in ſe, cognoſcibilem ut eſt, appetibilem à Deo prudenter: oportet, ut re ipsa ſit una, vera, bona, poſitivè, quamvis exprimatur termino negativo; ita ſicut Infinitas, Immaterialitas; quæ tamen, hoc non obſtante, ſunt unum, verum, bonum, poſitivè, quia excludendo formaliter aliquid, non excludunt, ſed ponunt à parte rei ſe, tanquam aliquid indiviſum, cognoſcibile, amabile. Rurſus negatio excluſiva Antichriſti, negat de ſe diviſionem negativam in ſe, (non enim eſt diviſa negativè in ſe:) negat item de ſe negationem cognoſcibilitatis, non enim eſt incognoſcibilis; negat demùm de ſeipſa negationem amabilitatis, non eſt enim non amabilis à Deo pro nunc. Atqui Negatio Negationis eſt quid poſitivum, quia, non non eſſe tale, eſt eſſe tale: Ergo Negatio Antichriſtum excludens, eſt quid, in ſenſu reali loquendo, poſitivum, unum, cognoſcibile, amabile, quavis negativè expreſſum.

§ III. Altera ratio eſt ab abſurdo. Sequitur enim in ſententia oppoſita, dari nunc defacto, actu, ſimul, infinitam categorematicè multitudinem negativam, entium abuſivorum, à parte rei diſtinctorum inter ſe. Siquidem tot nunc, actu, & ſimul ſeu categorematicè dabuntur nemine cogitan-

gitante diſtincta inter ſe entia abuſiva negationum, excluſiva rerum poſſibilium, quot ſunt poſſibiles res creatæ, quæ defacto nunc non exiſtunt; unde cùm hæ ſint Syncategorematicè infinitæ, negationes illarum quæ nunc ſimul omnes actu dantur, dabuntur categorematicè infinitæ. Porrò ſequelam eſſe inconvenientem ex eo patet, quia omnia argumenta, quæcunq; fiunt contra infinitam categorematicè multitudinem entium poſitivorum, fieri poterunt, (quemadmodùm cuiq; rem ſincerè examinanti apparebit,) contra iſtam multitudinem entium negativorum. Qualia argumenta ſunt illa, quòd comparando duo infinita, unum eſſet majus altero, ideoq; unum ibi finiretur, ubi excederetur ab alio: quòd continens non eſſet majus contento, & ſimilia. Et ratio hujus eſt, quia in omnibus iſtis argumentis, omnes implicantiæ deſumuntur ex ſolo præcisè numero categorematicè infinito, non ex materia poſitiva vel negativa, ſpirituali vel materiali &c. At in noſtra ſententia, hoc non ſequitur; ut enim infra dicetur, infinitæ Negationes excluſivæ rerum poſſibilium non exiſtentium, identificantur realiter cum uno ente poſitivo, puta cum voluntate DEI nolente exiſtere res, quæ non exiſtunt.

In ſententia oppoſita ſequitur Infinitum Categorematicum in numero.

§ IV. Non ſatisfacit verò quidam reſpondendo: Negationes excluſivas rerum poſſibilium, non diſtingui inter ſe actu ante noſtram deſignationem, ſed tantùm in potentia, ita planè ſicut partes homogeneæ continui. Contra enim eſt: quia, quidquid ſit de partibus continui, homogeneis, (quòd tamen eſt falſum;) adhuc de Negationibus rerum poſſibilium diverſarum, hoc non valet: quia hæ à parte rei reſpiciunt eſſentiali-

ti..ter terminos diverſos, una enim deſtruit eſſentialiter Antichriſtum, alia alterum ſolem, & ſic de aliis: ac proinde nemine cogitante ſunt heterogeneæ, non ſecus ac actiones, quæ eſſentialiter ponunt terminos diverſos; cum univerſaliter omnis Relatio diverſificetur à ſuo termino. Sicut ergo partes Continui heterogeneæ diſtinguuntur, per omnes, actu, ante omnem deſignationem intellectus: ita & Negationes rerum diverſarum, quæ ſunt infinitæ. Præterea, objecta verificativa diverſarum propoſitionum, ſunt à parte rei diverſa: Sed Negatio objectiva Antichriſti, & Negatio objectiva alterius ſolis, ſunt objecta verificativa diverſarum propoſitionum negativarum: Ergo ſunt à parte rei diverſæ. Idem autem dicendum de aliis, ſine fine. Vide plura circa has rationes noſtras diſp. illa 5. de Deo qu. 4. pag. 355.

§ V. Aliæ rationes afferentur in ſequentibus quæſtionibus. Videri etiam aliæ poſſunt in qq. noſtris ſelectis ad 1m 2dæ qu. 3. § 2. Nunc concluditur univerſaliter, juxta diſtinctionem Negationis traditam in quæſtione præcedenti, Negationes active ſumptas, ſemper à parte rei identificari cum aliquo ente reali poſitivo, incompoſſibili cum eo, quod per negationem negatur: Negationes verò paſſive ſumptas à parte rei, eſſe ipſas res, quæ negantur, quatenus ab aliquo ente poſitivo ſecum incompoſſibili exiſtente, per denominationem extrinſecam denominantur excluſæ, ſeu nihil actuale, vel nihil poſſibile. Ex. gr. Negatio alterius mundi active ſumpta, realiter eſt ipſum Decretum Dei nolens exiſtentiam alterius mundi: eadem verò negatio paſſive ſumpta, in recto eſt ipſe alter mundus quatenus

nùs ab illo decreto Dei, excluſivo & impeditivo alterius mundi, denominatur extrinſece impeditus, ſeu nihil actuale: eo proportionaliter modo, quo ab Omnipotentia Dei, denominatur poſſibilis. Sed de hoc quæſtione ſequenti uberiùs.

§ VI. Hanc ſententiam docent acutiſſimi noſtri ævi Recentiores P. Antonius Perez Tr. 1 diſp: 3. de ſcientia Dei cap. 4. n. 130. Eminentiſſimus Sfortia in lib: 5. de Incarn: Cap. 11. & in 1m 2æ diſp. 3. qu. 2. ar. 5. P. Eſparza q. 16. de Deo ad 1. & qu. 29. de Actibus humanis. P. Sylveſter Maurus q. 49. Log. P. Gieraldin⁹ par: 1. qq. Philoſoph: q. 22. & alii nunc in Italia noſtri Profeſſores, quanquam aliqui excipiunt malitiam moralem peccati, de qua inferiùs. Teſtatur etiam P. Lynceus lib: 4. met. tract. 2. cap. 1. hanc ſententiam in Hiſpania à RR. eſſe mirificè illuſtratam. Eidem ſententiæ ex parte adhæret P. Izquierdo, quatenus loco citato negat fuſe entia abuſiva negationum. Abſolute vero hanc ſententiam tenet P. Aldrete de Incarnat: diſp. 72. ſect. 3. num. 7. ubi dicit: *Non ſemel diximus, non dari ab æterno Carentias rerum diſtinctas à decretis Divinis.* Et infra: *Alibi probabiliter oſtendi, in contrariis eſſentialiter repugnantibus, unum non eſſe cauſam quaſi activam, ut expellatur aliud, ſed potius eſſe ſeipſo formalem deſtructionem, ſeu carentiam alterius. Nam aſſenſus eſt carentia ſufficiens diſſenſûs.*

Authores noſtræ ſententiæ

Ex antiquis videri poteſt Auguſtinus præſertim lib. de nat. boni cap. 14. ubi cum dixiſſet, pulchritudinem ſimiæ eſſe deformitatem, id eſt carentiam formoſitatis, mox privationes rerum non eſſe diſtinctas realiter ab omni bonitate, conſequenter ab entitate, ita aſſerit; *Etiam privatio-*

D. Auguſtinus.

vationes rerum ſic ordinantur in univerſitate naturæ, ut non indecenter (duplex negatio affirmans) *vices ſuas habeant, nam & Deus, certa loca non illuminando, tenebras fecit tam decenter, quàm dies; ſic & nos continendo vocem, decenter interponimus ſilentium; quantò magis ille, quarundam rerum privationes decenter facit, unde lux, & tenebræ laudant Deum.* Hæc ipſe: quem etiam ſemel atque iterum laudat D. Thomas, quòd dixerit: *In bono & malo, fallere regulam Dialecticorum de contrariis*; eo ſcilicet ſenſu, quia malum, quod per ipſum, eſt privatio boni debiti, non opponitur cuicunque bono, ſeu enti. Et in qq. ex utroq; miſtis, *Tenebras* vocat *molem terrenam & aqueam.* Suffragatur ipſe S. Thomas pluribus in locis, præſertim lib: 3. contra Gent: c. 9. vbi dicit: *Differentia actus peccaminoſi* (id eſt malitia moralis, quæ per ipſum, eſt privatio rectitudinis) *importat aliquid, quod ſecundùm ſe eſt bonum, malum autem homini inquantùm eum privat ordine rationis*, comparatq; ibi malitiam moralem ad ſuum actum, ſicut irrationalitatem ad brutum, à quo utiq; non diſtinguitur realiter irrationalitas. Idem 1. 2. q. 18. art. 1. ait: *Si aliquid nihil haberet de entitate, nec bonum eſſet, nec malum*, ubi, ut vides, eodem modo S. Doctor aſſerit imbibi entitatem in bono, ac in malo, ſeu in privatione boni. Et 3. con. Gen. c. 170. dicit: *Impoſſibile eſt aliquid eſſe, quod ſit privatum participatione omnis boni, aliàs non eſſet appetibile, quia eſſet expers omnis boni, & eſſet appetibile, quia cuivis eſt appetibile ſuum eſſe.* Et 1. par. q. 48. art. 1. ad 1m dicit: *Iuxta Philoſophum prima contrarietas eſt habit⁹ & privatio, quia ſcilicet in omnibus contrariis ſalvatur, cū ſemper unum contrariorum ſit imperfectum respectu*

S. Thomas

alterius, ut nigrum reſpectu albi: quin ſicut omnis forma habet rationem boni, ita privatio rationem mali. Unde juxta S. Thomam & Philoſophum, contrarium inperfecti⁹ eſt privatio alterius contrarii. Quando verò S. Doctor alicubi negat ens & naturam eſſe malam, ſolet apponere illam reduplicationem, *Inquantùm ens, Inquantùm malum,* ut inter alia videre eſt 3. con. Gen. c. 7. & 9. per quod denotat, ſe loqui in ſenſu formali, non in reali. Nempe, ſicut eadem res ut ſubſtat uni conceptui, dicitur vera; ut ſubſtat alteri, dicitur bona: ita eadem res quatenùs cognita ut ponens aliquam perfectionem, dicitur ens poſitivum; cognita verò ut excludens ac impediens aliam perfectionem, dicitur Negatio & malum. Debet etiam adverti, quòd S. Doctor, dum videtur contrarium nobis loqui, ſæpè loquatur de Negatione paſſivè ſumpta, quæ cùm non ſit in ſe intrinſecè, ſed tantùm dicatur eſſe per denominationem extrinſecam à ſuo contrario exiſtente; cùmq; fingatur à nobis adinſtar entis poſitivi, [quo pacto concipimus tenebras adinſtar nigredinis;] ideò 4. met. lect. 1. Negationi tali, tribuit *eſſe debiliſſimum & tantùm in ratione, quatenùs ratio negotiatur de ipſa, quaſi de quodam ente.* Et 2. Periher: lect. 1. dicit, Negationem eſſe ens, non ſimpliciter, ſed ſecundùm quid. Tandem lib. de Ente, & Eſſentiâ docet: *Negationem non eſſe rem, quatenùs res ſignificat entitatem diviſam in decem prædicamenta, ſed tantùm, quatenùs res ſignificat veritatem* (puta objectivam) *propoſitionis:* ubi, ut vides, non negat Negationem eſſe rem, ſed tantùm negat eſſe ens prædicamentale, quod eſt veriſſimum; quia non qualecunq; ens poſitivum ponitur in prædicamento, ſed ens unum,

per-

per ſe completum, finitum, & quidem ut ſubſtans conceptui poſitivo, juxta Canones logicos: cum tamen Negatio activè ſumpta ſæpe ſit ens incompletum, ſæpè infinitum, & ſemper ut talis, conceptu negativo expreſſum: paſſive verò ſumpta eſt denominatio extrinſeca, quæ certè non dividitur in decem prædicamenta. Citari etiam poteſt pro noſtrâ ſententiâ antiquiſſimus Dionyſius, quatenùs 4. de Divinis Nominibus: dicit: *Malum* (quod etiam per ipſum, eſt privatio boni,) *non pugnat cum bono niſi virtute boni*, unde cùm pugnet non activè, ſed formaliter, id eſt, ſeipſo, oportet, ut ipſum ſit virtus boni, adeoq; ens poſitivum. Demum citari poteſt Ariſtoteles, qui aliquando, nigredinem vocat privationem albedinis, & frigus privationem caloris. Et 7. phyſ: tex. 18. docet *Vitium* (quod ſupra dixerat eſſe diſpoſitionem & habitum) *eſſe corruptionem & remotionem virtutis, ſeu negationem.* Tandem 10. met: tex. 56. ait: *Omnis contrarietas, privatio eſt*: ſubditq; inferius diſſimilitudinem eſſe privationem ſimilitudinis, & vitium, virtutis; cum tamen & aliqua contrarietas, & nigredo & frigus & vitium ſint ens poſitivum.

S. Dionyſius.

Ariſtoteles

§ VII. Ad hæc reſpondet quidam ſolide doctus & Ingenioſus Profeſſor: Ens poſitivum incompoſſibile cum re negata, eſſe activam, quaſi in genere cauſæ efficientis negationem objectivam talis rei; jam vero in genere cauſæ formalis negationem objectivam ejuſdem rei, eſſe ipſum non eſſe, ſeu nihil talis rei, quod non datur à parte rei, ſed tantum in intellectu. Pro qua doctrina citat S. Auguſtinum, qui alicubi dicit: *Mortem nihil eſſe, niſi nomen recedente vitâ.* Sed con-

contra eſt: quia illud in genere cauſæ formalis dat denominationem alicui talem à parte rei, quod ſeipſo immediatè, ſeu nullo à parte rei mediante, præſtat alicui talem denominationem: hoc enim differt genus cauſæ formalis à genere cauſæ efficientis, mediate & ratione alterius aliquid præſtante, ut probat inductio. Atqui Decretum Dei v. g. nolens alterum ſolem, ſeipſo immediatè à parte rei dat alteri ſoli denominationem excluſi ab exiſtentia, ſeu nihili actualis, ſeu non exiſtentis; nihil enim à parte rei mediat inter tale decretum & alterum ſolem quatenus ab exiſtentia excluſum; ſiquidem per Reſpondentem, ipſum *Non exiſtere alterum ſolem*, non datur à parte rei, ideoq; etiam à parte rei mediare non poteſt inter aliqua extrema: cum prius ſit eſſe à parte rei, quam mediare à parte rei. Ergo Decretum Dei nolens alterum ſolem, dat à parte rei in genere cauſæ formalis, (non autem efficientis,) alteri ſoli denominationem excluſi ab exiſtentia, ſeu non exiſtentis. Quod ſi verum eſt; tunc ſi eidem decreto inſuper ſuperaddatur conceptus formalis negativus alterius ſolis, eo ipſo tale decretum in genere cauſæ formalis, etiam ex modo noſtro concipiendi, erit ratio formalis excluſiva alterius ſolis ab exiſtentia. Sicut quia entitas Petri, à parte rei in genere cauſæ formalis denominat Petrum eſſe rationalem, ſi tali entitati ſuperaddatur conceptus formalis referens objectum per ordinem ad diſcurſus, eo ipſo talis entitas ut ſubſtans tali conceptui, erit ratio formalis ex modo noſtro concipiendi denominans Petrum rationalem. Ad authoritatem S. Auguſtini dico, illum hoc nonniſi velle, quod Mors non habeat eſſentiam & exiſtentiam ſepa-

ſeparatam ab omni bono, & pure malam, ut volebant Manichæi: immò mortem formaliter ſumptam non conſiſtere in ente abuſivo, vel aliquo poſitivo, ut aliqui dicunt, ſed potius conſiſtere in conceptu formali negativo vitæ, qui conceptus eſt nomen mentale, quæ eſt noſtra ſententia. Cæterum ſiquidem *Non eſſe formale vitæ*, juxta Reſpondentem eſt tantum in intellectu: quæro: quod objectum habet iſta Apprehenſio *Non eſſe formale vitæ?* vel enim pro objecto habet aliquid extra cognitionem? & ſic objectivum formale non eſſe vitæ dabitur aliquomodo à parte rei, quod nollet Reſpondens: vel dicta Apprehenſio pro objecto nihil habet, niſi ſeipſam, & ſic erit pure reflexiva, quod nemo dixerit.

Reſpondet 2do Idem: Negatio alterius ſolis, quatenus datur actu à parte rei, duo tanquam intrinſeca ſui conſtitutiva importat, nempe Decretum Dei, quod datur actu à parte rei, & non exiſtere alterum ſolem, quod datur nonniſi in intellectu. Sed hæc reſponſio ex dictis modo refutata manet. Contra deinde eſt: quia per Reſpondentem, Omnipotentia Dei eſt unica quaſi forma adæquata denominans actu à parte rei rem poſſibilem, ita ut res poſſibilis ſit mera denominatio extrinſeca ab omnipotentia, ſolum ſubjectum ei ſuperaddens: Ergo etiam Decretum Dei nolens alterum ſolem, eſt quaſi forma adæquata unica, denominans actu à parte rei alterum ſolem non exiſtentem, ita ut alter ſol quatenus non exiſtens actu à parte rei, ſit mera denominatio extrinſeca à tali decreto, licet importet quaſi ſubjectum Alterum ſolem poſſibilem.

Reſpondet 3tio. Quidam concedendo forma-

Digitized by Google

lem activam negationem, alterius ſolis eſſe Decretum Dei, non tamen negationem formalem paſſivam, quæ potius eſt merum nihil, ſeu non eſſe. Sed præter modo dicta, contra eſt: quia illud eſt formalis negatio paſſiva alterius ſolis, quod formaliter excluditur ab exiſtentia, quatenus ita excluditur: ſed alter ſol formaliter excluditur ab exiſtentia. Ergo quatenus ita excluſus eſt formalis negatio paſſiva. Ipſum autem non eſſe alterum ſolem, falſum eſt, quod aliquomodo excludatur: aliàs alter ſol exiſteret, excluſo ſuo non eſſe. Ergo ipſum non eſſe alterum ſolem, niſi ita explicetur, prout nos illud explicamus, non eſt negatio formalis paſſiva. Sed redeamus ad argumenta ſuperius propoſita.

Ad 1. ergo. Repugnat ſine dubio, ut idem realiter ſit eſſe, & non eſſe ſuiipſius: ſed non repugnat, quin potiùs neceſſarium eſt, ut idem v. g. homo, per ſeipſum, ſit eſſe ſui, puta hominis, ſimulq; à parte rei, ſit non eſſe alterius incompoſſibilis ſecum, puta non eſſe lupi, cujus identitatem ſecum, homo ſeipſo deſtruit, ac excludit à ſe. Nempe tale Eſſe, & Non eſſe, non ſunt termini contradictorii; non enim idem eſſe affirmat unus terminus, quod alter negat, ut patet. Porrò dictum eſt, Negationem activam unius entis, non identificari realiter cum illo ente, quod negatur, ſed cum aliquo alio incompoſſibili. Negatio verò paſſiva identificatur quidem cum re, quæ negatur, non tamen ut poſita, ſed quatenus excluſa per aliud ens incompoſſibile; quod pariter non implicat, quia non ſunt contradictoria, quin potiùs ſunt convertibilia ſecum, Non eſſe paſſivum Antichriſti, & Eſſe Antichriſti excluſum. Ad Confirmationem. Negatio omnium

entium realium excluſiva, eſt chimerica, nec datur à parte rei, quia potiùs datur neceſſariò a parte rei negatio talis negationis, ſcilicet Deus, qui ſeipſo deſtruit neceſſariò talem negationem, cum ad deſtructionem illius ſufficiat unum Ens reale, nempe Deum, exiſtere. Solùm ergo Negatio omnis entis datur in noſtro intellectu fingente, & nihil aliud eſt, quam Ens ut ſic, ſeu collectio omnium entium, ut terminans actum intellectûs per modum fugæ recedentem ab objecto. Quapropter talis Negatio opponitur contradictoriè Enti ut ſic, non ex parte objecti, ſeu terminativi, ſeu verificativi, ſed ex parte actûs intellectûs, ut ſupra habitum eſt d. 1. q. 2. ad 5. & infra mox dicetur. Vide quæ dixi qu. illa 3. ad 1mam. 2dæ. p. 202. *Negatio omnium entium quid ſit.*

Ad 2. Objecta verificativa propoſitionum contradictoriarum, ſine dubio, debent eſſe oppoſita; alioquin utraq; ex contradictoriis, ſimul eſſet vera, ſi utraq; per idem objectum verificaretur. Quia verò objectum verificativum propoſitionis affirmantis exiſtentiam rei, eſt exiſtentia rei; negantis verò, eſt Negatio objectiva, excluſiva exiſtentiæ rei;ideò conceditur,exiſtentiam rei, eiſq́; excluſivam Negationem diſtingui realiter inter ſe, tanquam duo entia incompoſſibilia. Cæterùm negatur, tum objecta terminativa propoſitionum contradictoriarum, eſſe oppoſita, tum ex contradictoriis propoſitionibus, unam terminari ad Ens poſitivum, alteram ad Negationem entis; potius enim utraq; terminatur directè ad idem adæquatè ens poſitivum, ſed diverſimodè; una permodum acceſſus, altera permodum receſſus; una componendo ſubjectum cum prædicato, altera dividendo idem ſub- *Propoſitionum cō-*

radicto-riarum idem eſt objectū terminativū directum

jectum ab eodem prædicato: ſunt enim hi motus intentionales, quoad tendentiam in terminos, ſimiles illis motibus phyſicis, quorum unus fertur Cracoviâ Poſnaniam, alter Poſnaniâ Cracoviam; ubi termini ſunt iidem, tendentiæ oppoſitæ. Itaq; ſicut hæc propoſitio: *Petrus ſedet*, terminatur ad ſolum Petrum, & ſeſſionem; ita etiam & hæc: *Petrus non ſedet*; totaq; oppoſitio illarum eſt in modo tendendi, quatenus una componit intentionaliter ſeſſionem cum Petro, altera dividit intentionaliter. Cujus rei data eſt ratio diſp. 1. q. 2. § 5. Hinc verò colliges, Eſſe & Non eſſe alicujus poſſibile, & reale, diſtingui etiam realiter, ex parte objecti, non quidem terminativi, ſed ex parte objecti verificativi; quia id quod verificat. v. g. Antichriſtum non eſſe, nempe decretum DEI, eſt realiter diſtinctum ab ipſo Eſſe Antichriſti. Cæterùm Eſſe & Non eſſe alicujus chimericum, (quale eſt Non eſſe DEI, & Non eſſe omnium entium,) ſolùm diſtinguuntur ex parte actûs cognoſcentis; quia in his idem eſt objectum terminativum; verificativum autem talis Negationis utpote chimericæ, non datur.

Differentia termini contrarij & contradictorij

Ad 3. Diſcrimen inter terminos contrarios & & contradictorios, hoc eſt, quòd in contrarijs, v. g. in his, *Album, Nigrum*, uterq; terminus eſt determinatum poſitivum impedimentum alteri termini, ſub uno proximo genere Qualitatis, maximè diſtans ab altero; & quidem uterq; eſt expreſſus conceptu affirmativo: at in contradictoriis Logicis & formalibus, v. g. in his: *Albū Non Album*, unus terminus, nempe negativus, ſi paſſivè ſumatur, eſt ipſe terminus affirmativus, quatenus negatus & excluſus per aliquod vagè

impedimentum; ſi verò activè ſumatur eſt aliquod vagè & indeterminatè impedimentum affirmativi termini, ſub quocunq; genere entis, & quidem expreſſum conceptu negativo. Hinc inter contradictoria Logica, & formalia, non datur medum à parte rei, non tantùm per participationem, (nihil enim participat de ſuo eſſe excluſivo ſui eſſe,) ſed etiam per abnegationem, quia implicat ut nec res ſit, nec aliquod impedimentum poſitivum ipſius, per quod excludatur; ſaltem enim exiſtet voluntas Creatoris, excludens illam rem, quæ non exiſtet. At inter contraria datur medium: quia poteſt accidere, ut aliquid participet de illis, quæ ſub eodem genere maximè diſtant à ſe; & ſimiliter fieri poteſt, ut nec res exiſtat, nec illud determinatum impedimentum ejus, quod ſub eodem genere proximè maximè diſtat ab illa re. Hinc rurſus unius termini, una eſt Negatio Logica etiam activè ſumpta & formalis, ſcilicet, aliquod vagè impedimentum rei, negativè expreſſum; & ſic implicat ex contradictoriis formalibus ac Logicis, neutrum verificari. Loquor autem de contradictoriis formalibus & Logicis, quia unius rei, poteſt eſſe multiplex Negatio activa objectiva, & phyſica; ac proinde ex contradictoriis phyſicis ac objectivis, poteſt neutrum verificari; puta nec dari duratio craſtina, nec heſterna; quæ eſt Negatio phyſica & objectiva durationis craſtinæ, dummodò detur aliqua alia Negatio durationis craſtinæ, pura duratio hodierna, vel decretum DEI, nolens durationem craſtinam.

Vnius rei una eſt Negatio activa formalis & Logica.

Ad 4. Terminus Infinitans à Negativo per hoc differt: quia licet uterq; importet aliquod vagè poſitivum impedimentum rei negatæ; tamen

Diſcrimen termini negativi

ab infinitante.

men infinitans dicitur per ordinem ad propoſitionem Infinitatem, quæ ſcilicet directè ſemper affirmat ſuum ſubjectum eſſe aliquid à parte rei, licet non definiat, nec determinet, quidnam ſit illud ſubjectum, (ſi terminus Infinitans, eſt ex parte ſubjecti, ut cùm dicitur, *Non homo eſt lapis*:) vel quodnam determinatè prædicatum conveniat illi ſubjecto, (ſi terminus Infinitans eſt ex parte prædicati, ut cùm dicitur: *Lapis eſt non homo*,) ob quam indeterminationem, propoſitio dicitur Infinitans. At terminus purè Negativus, dicitur per ordinem ad propoſitionem, quæ non affirmat directè, immò nec ſupponit ſuum ſubjectum eſſe à parte rei, ſed tantum à ſubjecto removet aliquod prædicatum; licet indirectè affirmet dari excluſivum aliquod illius prædicati à ſubjecto, ut patet in hac propoſitione: *Hoc non eſt lapis*. Cùm ergo in propoſitione Infinitante, plùs ſignificetur, quàm in Negativa: in hac enim ſolùm indirectè ſignificatur, dari aliquod excluſivum formæ negatæ de ſubjecto; in Infinitante autem inſuper directè aſſeritur, eſſe à parte rei ſubjectum propoſitionis; propterea optimè docet Philoſophus, non valere vi formæ, conſequentiam à Negativo termino ad Infinitantem, ſic arguendo: *Hoc non eſt lapis, Ergo eſt non lapis*: (verum enim eſt Antecedens de chimera, falſum autem conſequens; quia falſum eſt dicere de chimera, quòd ſit, & conſequenter, quòd ſit excluſivum lapidis, ſeu quod ſit non lapis,) quamvis valeat conſequentia ab infinitante ad Negativum, ſic arguendo: *Hoc eſt non lapis, Ergo non eſt lapis.*

Cur à termino Negativo nō valet ad Infinitantem

Ens & negatio

Ad 5. Res & Negatio ejus, etiam formaliter ſumpta, conveniunt analogicè, in ratione intelligi-

ligibilis, in ratione principij rerum naturalium &c. non tamen conveniunt in uno conceptu univoco. Quia Negatio formaliter ſumpta, eſt aliquod vagè ens, ſive creatum, ſive increatum, ſive ſubſtantia, ſive accidens, quatenus excluſivum alteriùs ſecum incompoſſibilis. Porrò Ens in tanta latitudine ſumptum non eſſe rationem univocè communem, docet communis ſententia. Cæterùm conceditur rem & Negationem ejus materialiter, & ſpecificativè ſumptam, ſeu non quatenus eſt negatio, ſed quatenus eſt tale ens, convenire univocè, puta calorem & frigus in ratione Qualitatis, amorem & odium, in ratione Actûs vitalis. Alias objectiones ſolutas reperies in illa Diſp. 5. de Deo qu. 4. pag. 368. & ſeqq.

ejus formalis non conveniũt univocè

QVÆSTIO III.

Vtrùm Negationes æternæ formaliter excluſivæ alicujus, identificenter realiter cum Dei Eſſentia vel Decretis?

VIdetur quod non 1. quia non eſt Philoſophicum toties recurrere ad Deum, in explicandis tot Negationibus. Accedit: tum quia decreta libera Dei, ſunt valdè difficilia in Theologia, cùm Negatio v. g. alterius ſolis, ſit facilis intellectu: tum quia Negationes ab æterno dari, ſciunt etiam ruſtici, qui tamen neſciunt illas eſſe Decreta Dei. Non ſunt ergo explicandæ Negationes per Divinam Eſſentiam ejuſq; decreta.

2. Nullà denominatio poteſt provenire ab illo, quod non continet in ſe intrinſecè effectum formalem talis denominationis: quâ de cauſa denominatio calidi non poteſt provenire à frigore, & ſic de aliis. Eſſentia autem Dei cùm ſit ple-

plenitudo totius eſſe, non continet in ſe intrinſece denominationem nihili, ac proinde non poteſt eſſe id, à quo formaliter deſumitur denominatio nihili, ſeu non poteſt eſſe Negatio alicujus.

3. Cauſa diſtinguitur realiter à ſuo effectu; ſed Decretum Dei nolens alterum ſolem, eſt cauſa æternæ carentiæ alterius ſolis: Ergo decretum Dei tale diſtinguitur realiter ab æternâ carentiâ alterius ſolis. Confirmatur: Angelus non denominatur formaliter creatus, per Divinam volitionem volentem creare Angelum, ſed per ipſam creationem, reſultantem ex tali volitione. Ergo etiam Angelus non creatus, non denominatur formaliter talis per Divinam nolitionem nolentem creare Angelum, ſed per carentiam creationis, reſultantem ex illa nolitione.

4. Si Negatio æterna alterius mundi eſt Decretum Dei, non poteſt explicari, quid Deus velit, quando efficaciter vult alterum non exiſtere mundum? non enim talis volitio vult ſeipſam, cùm objectum volitionis diſtingui debeat ab ipsâ: non etiam vult alterum mundum, quia hunc potius odio habet. Confirmatur prima pars Antecedentis: quia Deus poteſt velle directè exiſtentiam mundi, ita ut habeat objectum diſtinctum à ſua volitione: Ergo poteſt etiam velle non exiſtentiam mundi, tanquam objectum diſtinctum à ſua volitione. Confirmatur etiam ſecunda pars: quia cùm Deus vult directè mundum exiſtere, habet pro objecto mundi exiſtentiam: Ergo è contra cùm non vult directè mundum exiſtere, non habet pro objecto exiſtentiam mundi; oppoſitorum enim actuum oppoſita ſunt objecta.

5. Poſitâ re aufertur Negatio ejus: ne ſimul

exiſtant

exiſtant duo contradictoria. Decretum autem DEI, quo ob æterno nolebat producere mundum hunc, in quo vivimus, non eſt ablatum poſito iſto mundo; quia decreta DEI ex ſuppoſitione quod ſint, ſunt indefectibilia: Ergo Negatio iſtius mundi, quæ dabatur ab æterno, non erat identificata cum Decreto DEI.

6. Si nunc ſol deſtrueretur à DEO, mutaretur intrinſecè, & quidem per ſuum non eſſe; ſed non mutaretur intrinſecè per decretum DEI, quod eſt ſoli extrinſecum: Ergo Non eſſe ſolis, in tali caſu, non eſſet aliquod Decretum DEI.

§ I. *Reſpondetur*. Oſtenſum eſt quæſtione præcedenti in genere, Negationes formaliter excluſivas identificari realiter cum aliquo ente poſitivo, incompoſſibili cum re negata; jam videndum eſt cui enti poſitivo unaquæq; Negatio identificetur. Ad hoc ſciendum, Negationes, quæ dantur à parte rei, eſſe triplicis generis. *In* primo genere ſunt Negationes non ſolum æternæ, ſed etiam ſimpliciter neceſſariæ: & tales ſunt omnes, & ſolæ Negationes chimerarum; hæ enim omnes & ſolæ negationes nunquam ſunt auferibiles, alioquin poſſet poni chimera, quæ utiq; ponitur ablata negatione ſui, id eſt, ſuo contradictorio. Solæ, inquam negationes chimerarum; quia cujuslibet diviſim creaturæ Negatio ita eſt pro aliqua differentia temporis, ut potuerit non eſſe; nam contradictorium ejus, nempe quælibet diviſim creatura, potuit eſſe: Negatio autem DEI neceſſariò non datur ut patet. In ſecundo genere ſunt Negationes rerum contingentium æternæ quidem, ſed non ſimpliciter neceſſariæ, pro hac, vel illa differentia temporis, immò pro omni, cùm potuerit contradicto-

dictorium earum, nempe res contingentes, p[illegible] aliqua differentia temporis poni. In tertio genere ſunt Negationes contingentes, ſeu temporales, quæ ſcilicet non dantur ab æterno, ſed incipiunt & deſinūt in tempore, ut nox, ſilentium, cæcitas, malitia peccati &c. De his poſtremis, diſtinctionis cauſa agendum eſt Quæſtione ſequenti: nunc de, primi & ſecundi generis Negationibus tractando,

Quid eſt Negatio chimerarum.

§ II. Dicendum eſt imprimis, Negationes æternas & ſimpliciter neceſſarias, formaliter excluſivas chimerarum, à parte rei eſſe ipſam Eſſentiam DEI, quatenùs non contentivam in ſua virtute chimerarum, ſeu quatenùs nolentem ipſas neceſſariò. Ita Authores citati in quæſtione præcedenti. Ratio eſt: quia Eſſentia DEI hoc modo ſumpta, ſe ſolâ præcisè, ſine ullo ſibi ſuperaddito à parte rei, etiam abuſivo, excludit, ſeu impedit neceſſariò ab æterno chimeras, eſtq; per ſeipſam immediatè, neceſſitas æterna ne detur chimera, & verificat hanc propoſitionem: *Neceſſariò ab æterno non datur chimera.* Ergo Eſſentia DEI, in ſenſu reali loquendo, eſt Negatio formaliter excluſiva chimerarum. Patet conſequentia: Tum quia hoc intelligitur nomine Negationis formaliter excluſivæ alicujus: Tum quia univerſaliter, id eſt forma denominans, quæ per ſeipſam immediatè ſecluſo quovis diſtincto, præſtat effectum formalem illius denominationis; unde, ſi Eſſentia DEI ſe ſolâ immediatè denominat chimeras ab æterno neceſſariò excluſas, (qui eſt effectus formalis negationis excluſivæ chimerarum:) patet Eſſentiam DEI, eſſe formam denominantem chimeras eſſe nihil, ſeu eſſe excluſas. Antecedens probatum eſt d.

1. q. 3. § 4. & 5. ubi univerſaliter oſtenditur, nullum æternum ac ſimpliciter neceſſarium, dari extra Deum. Nunc idem in ſubjecta materia ſuadetur ex eo; quia ſufficit ſe ſolo Summum bonum, quin detur ſuo modo ullus purus defectus, qualis eſſet illa Negatio formaliter excluſiva chimeræ, ſi ſuo modo daretur extra Deum. Alioquin enim non ſufficeret ſe ſolo ſummum & infinitum in omni genere Bonum, nec poſſet dicere: *Nolo ullum purum defectum ſuo modo eſſe extra me*, non haberetq; illum ſub ſuo dominio, utpote nulla vi, nullâq; voluntate Divinâ auferibilem: atq; ita ille purus defectus ex una parte eſſet quid neceſſarium, æternum, omninò requiſitum ad exiſtentiam & felicitatem Entis primi, incontemptibile à Deo, indiſplicibile voluntati optimæ; & tamen ex alia parte, eſſet purus defectus, ideoq; incluſus intra objectum adæquatum prudentis contemptûs & diſplicentiæ; quaſi verò priora prædicata, uſq;adeò perfecta, & quæ cum aliqua perfectione limitata exiſtente, componi non poſſunt, poſſint componi cum puro defectu. Quod autem quidam dicunt, prædicata illa, neceſſitatis,incontemptibilitatis, convenire Negationi excluſivæ chimerarum omnium, ſolùm per rationem, quatenùs illa concipitur à nobis adinſtar entis: id ſtare non poteſt. Quia verificatur nemine cogitante, quòd illa Negatio deſtrui & contemni à Deo non poteſt; alias nemine cogitante poneretur chimera contradictoria ipſi: unde etiam ipſe Deus cognoſcens iſtam Negationem, ſine fictione, nec adinſtar entis, judicat de illa, quòd ſit à parte rei incontemptibilis à ſe. Quòd rurſus ijdem dicunt: *Negationem chimeræ eſſe incontemptibilem à Deo*,

nihil aliud eſſe, niſi chimeram neceſſariò contemni; id pariter non ſatisfacit: quia per hos Authores, ex eo, quòd DEUS neceſſariò contemnat chimeram, reſultat Negatio chimerarum neceſſaria, & æterna, & conſequenter incontemptibilis, extra DEUM, quà mediante DEUS excludit chimeram: Ergo juxta illos, non debet eſſe idem realiter, *Neceſſariò chimeram contemni à Deo, & Negationem chimeræ eſſe incontemptibilem à Deo*, niſi nobiſcum dicere velint ipſam Negationem excluſivam chimeræ, eſſe ipſum Divinum contemptum chimeræ, incontemptibilem à DEO.

Quid Negatio aliquarū vagè creaturarum? § III. Quæ dixi de Negatione formaliter excluſiva chimeræ, dici debent de Negatione formaliter excluſiva exiſtentiæ alicujus vel aliquarum vagè creaturarum ex poſſibilibus. Nempe hæc pariter Negatio eſt ſimpliciter neceſſaria, incontemptibilis, & inauferibilis à DEO; alioquin illâ ablatâ, exiſterent omnes actu ſimul creaturæ poſſibiles, (quod implicat;) falſificatâ enim unâ contradictoriâ, verificatur altera; tunc autem falſificaretur hæc propoſitio: *Aliquæ creaturæ non exiſtunt*: Ergo verificaretur hæc contradictoria: *Omnes creaturæ exiſtunt*; Certum enim eſt apud Dialecticos has propoſitiones eſſe contradictorias, & particularem ſumi in ſuppoſitione diſiunctiva, ac explicari per particulam vel diſiunctivam.

Quid Negatio aliquarū determinatè creatura- § IV. Ob eandem proportionaliter rationem cum iiſdem ſupra relatis Authoribus, tenendum eſt, Negationes æternas, ſed non abſolutè neceſſarias, formaliter excluſivas aliquarum determinatè creaturarum ab æterno, identificati à parte rei cum Decreto DEI liberè nolente ab æterno exiſtere has & illas creaturas, pro hac vel illa

diſ

differentia temporis, vel etiam pro omni, cum potuerit aliter decernere. Nimirum voluntas omnipotens, nolens efficaciter ab æterno ſed libere aliquid, ſecluſo quovis à parte rei ſibi ſuperaddito, etiam abuſivo, aut neſcio, quâ voce appellato, ſufficit ad hoc, ut per ſeipſam, à parte rei, immediatè, adeoq; formaliter, & non tantùm cauſaliter ſeu fundamentaliter, impediat, & excludat ab æterno, (licet non ſimpliciter neceſſariò,) id quod efficaciter non vult, & cum quo eſt incompoſſibilis, utq; id extrinſecè denominet nihil actuale, & verificet hanc v. g. propoſitionem, *Alter ſol ab æterno non datur, licet potuit dari pro aliquo tempore*; quod eſt eſſe Negationem æternam, ſed non ſimpliciter neceſſariam, formaliter excluſivam alicujus. Et hoc pacto ſalvatur, quomodo non detur infinita categorematicè multitudo Negationum excludentium nunc infinitas creaturas poſſibiles; quia ſcilicet omnes hujuſmodi Negationes identificantur cum uno realiter Decreto Dei. Supponitur hic interea ex 1. p. Decreta libera Dei eſſe adæquatè intrinſeca Deo, ut docet Suarez diſp. 30. met. S. 9. Martinon in 1m part. d. 14. Vadingus d. 1. de Incarnat. & pleriq; noſtri RR. *rum, quæ dabatur ab æternos*

Ad 1. Immo maximè Philoſophicum eſt, prò explicandâ aliquarum Negationum neceſſitate, æternitate, immutabilitate, aliiſque prædicatis convertibilibus cum Deo, non aliò recurrere, niſi ad Deum. Nec mirum ſit, quòd in explicandis Negationibus æternis, quæ potuerunt non eſſe, confugiamus ad Decretum Dei liberum uſq; adeo difficile: quia non minus difficilis eſt talium Negationum æternitas, quæ tamen potuerunt non eſſe, pro hac vel illa differentia tempo-

ris, vel etiam pro omni. Quòd verò ruſtici cognoſcendo Negationes activas æternas, neſciant illas identificari cum Decreto Dei, nihil refert; quia contingit etiam iiſdem, affirmare B. Virginem eſſe hominem, & negare eſſe animal, nec illorum judicium eſt regula univerſalis ſciendi. Immò contingit etiam doctis, diſputando de rerum definitionibus, unum idemque ab eodem affirmari, & negari, ſub diverſo conceptu, ut cum diſputatur, An unio ſit entitas modalis? An gratia habitualis ſit habitus charitatis? &c. Sic ergo accidit in ſubjectâ materia.

Ad 2. Duplicia ſunt denominativa: alia ſecundùm vocem, quo pacto denominatur Albus, ab albedine; alia ſecundùm rem, quâ ratione dicitur juſtus, à gratia ſanctificante. Hoc ſecundo modo chimera ab Eſſentia Dei denominatur extrinſecè excluſa, ſeu nihil: quia Eſſentia Dei, ita eſt ſuum eſſe infinitum, & plenitudo omnis eſſe poſſibilis, ut ſeipſâ opponatur chimeræ, ſitque quoad rem, excluſivum neceſſarium, ſeu non eſſe activum chimeræ. Et hoc eſt magna perfectio Dei, quòd per ſe immediatè opponatur imperfectioni, quam dicit chimera, & quòd ſit falſificativum omnis neceſſariæ falſitatis incluſæ in chimeris. Eodem proportionaliter modo diſcurre de Decreto Divino libero, quod ita eſt eſſe ſuum, ut ſimul ſit per ſe excluſivum, & Non eſſe activum imperfectionis creatæ non exiſtentis. Quodſi aliquis hoc mirabitur, dico argumentum ab admiratione, non eſſe in forma; quin potiùs omnis admiratio, eſt occaſio ſcientiæ acquirendæ.

Ad 3. Decretum Dei nolens alterum mundum, non eſt cauſa efficiens, ſed formalis adæ-

qua-

quata, reſpectu carentiæ alterius mundi, qualis cauſa non diſtinguitur realiter à ſuo effectu formali. Ratio eſt: quia nihil debet efficere actus ille Dei, quo Deus non vult ſe communicare ad extrà, qualis actus eſt illa nolitio Dei. Paritas illa de Angelo creato, non denominato à creatione, non procedit: quia Decretum, quo Deus vult efficaciter creare Angelum, vult efficaciter aliquid ponere extra Deum, aperitq; illum fontem Divinæ communicabilitatis ad extrà, ex quo ſic libere aperto, ob infruſtrabilitatem Divinæ volitionis, neceſſe eſt emanare rivulum exiſtentiæ creatæ: at Decretum nolens efficaciter exiſtentiam Petri, claudit potiùs illùm fontem, nolendo quidquam eſſe extra Deum, & ita ſeipſo impedit exiſtentiam Petri, abſq; eo, quòd aliquid extra Deum detur, vi illius Decreti.

Ad 4. Duplex poteſt cogitari in Deo Decretum formaliter excluſivum alterius mundi. Primum eſt tale: *Nolo exiſtentiam alterius mundi*; & hoc ut tale, eſt directum, nec vult quidquam extrà ſe, ſed tantûm habet pro objecto exiſtentiam alterius mundi, recedendo ab ipſa per modum fugæ, eſtque efficax, non ponendo aliquid extrà ſe, ſed tantùm impediendo. Alterum Decretum eſt tale: *Volo non exiſtere alterum mundum*, & hoc Decretum ut tale, eſt actus reflexus, vultq; ſeu amat illud priùs Decretum nolitivum alterius mundi, quod eſt ipſum Non exiſtere alterius mundi. Cæterùm quia omnis nolitio formalis & directa alicujus, eſt indirecta, virtualis, & reflexa, volitio ſui, (qui enim odit aliquem, vult ſe odiſſe:) propterea primum Decretum non diſtinguitur realiter à ſecundo; & ſecundum, dum vult primum, vult ſeipſum. Solùm enim

Quid Deꝰ vult quãdo vult nõ exiſtere alterum mũdum?

reſpectu actùs directi, verum eſt, quòd diſtinguatur realiter à ſuo objecto. De reliquo, ſicut propoſitio directè negans aliquid, affirmat reflexè ſeipſam ut veram: ita actus voluntatis, nolens directè aliquid, amat ſeipſum ut bonum. Ad 1mam Confirmationem. Negatur conſequentia. Quia Deus non aliter poteſt ponere exiſtentiam mundi, niſi volendo ſe communicare ad extrà, ideóq; niſi volendo aliquid extra ſe exiſtere; at verò non exiſtentiam mundi Deus non poteſt ponere, volendo ſe communicare ad extra, ſed potiùs non volendo quidquam extra ſe, præter ſuam nolitionem mundi, ideóq; hanc ſolùm reflexè velle poteſt, cùm vult non exiſtentiam mundi. Ad 2dam Confirmationem. Itidem negatur conſequentia. Ut enim ſemel atq; iterum ſuperiùs dictum eſt, ſicut affirmatio & negatio oppoſitæ, ita nolitio & volitio oppoſitæ, terminantur ad idem objectum, cum ſolâ diverſitate modi tendendi. Itaq; dum Deus vult exiſtere mundum, tunc directè amat mundum, & indirectè amat Decretum hoc de exiſtentia mundi, ſimulq; indirectè recedit à Decreto ſuo de non exiſtentia mundi: quando verò non vult mundum, directè tunc recedit ab exiſtentia mundi, & indirectè à Decreto de exiſtentiâ mundi, indirectè autem amat Decretum de non exiſtentia mundi. Ubi ut vides eadem ſunt objecta Divinæ nolitionis & volitionis mundi, ſed modus tendendi oppoſitus. Quoniam verò tam volitio poteſt explicari per nolitionem, quàm nolitio per volitionem, ſicut etiam affirmatio per negationem, & è converſo: propterea illud hic obſervandum eſt, illam eſſe volitionem formalem & directam, quæ ne fruſtretur, requirit exiſten-

Quæ ſit volitio & quæ nolitio alicujus rei?

tiam ſui objecti, quamvis explicetur per nolitionem; è contra verò, illam eſſe nolitionem formalem & directam, quæ requirit non exiſtentiam ſui objecti; ſicut illa eſt affirmatio, quæ poſtulat identitatem ſubjecti cum prædicato; illa verò eſt propoſitio negativa, quæ poſtulat diſtinctionem, quomodocunq; explicentur.

Ad 5. Decretum Dei, quo Deus ab æterno nolebat iſtum mundum, ita eſt Negatio excluſiva hujus mundi, pro qua mundum odit, ut ſimul ſit determinatio mundi pro hoc tempore poſt creationem, pro quo mundum amat; (poteſt enim idem actus eſſe amor, & odium ejuſdem rei pro diverſis durationibus.) Quapropter præſens Decretum eſt compoſſibile cum exiſtentia mundi pro hoc tempore poſt creationem, pro quo mundum non negat: & conſequenter poſito mundo pro hac differentia temporis, pro qua poſitus eſt mundus, non debuit auferri Decretum Dei nolens hunc mundum; negatio enim debet auferri, ſi ponatur res, pro illo tempore, pro quo negatur, non autem ſi ponatur pro alio tempore, pro quo non negatur per illam negationem; ſic enim adhuc non coëxiſtent ſibi duo contradictoria. Dici etiam poteſt, quod mundo producto, non ceſſavit Decretum Divinum 2dum ſe, ſed 2dum id quod ab æterno excludebat: nam id fuit mundus excluſus à ſua exiſtentia; poſita autem creatione mundi, mundus ceſſavit eſſe ita excluſus.

Ad 6. Duplex eſt mutatio intrinſeca: alia, quæ fit per acquiſitionem alicujus intrinſeci antea non habiti: alia, quæ fit per amiſſionem alicujus intrinſeci antea habiti. Si ergo ſol nunc deſtrueretur, mutaretur intrinſecè, non per acquiſitio-

nem alicujus intrinſeci, ſive poſitivi, ſive abuſivi, ſed per meram amiſſionem ſui eſſe, quod illi antea erat intrinſecum. Nam profectò repugnat ut res totaliter deſtruatur, ſitq; nihil, & tamen habeat aliquid ſibi intrinſecum. Porrò talis mutatio intrinſeca conſiſtens in hoc, quòd ſol amittat ſuum eſſe ſibi extrinſecum, benè poteſt haberi ab aliquo extrinſeco excluſivo illius eſſe, quod erat ſoli intrinſecum: & hoc excluſivum eſt Decretum Dei, nolens exiſtere ſolem, ut probatum eſt.

QVÆSTIO IV.

Vtrùm Negationes Temporales activè ſumptæ, re ipsâ ſint aliquod temporale poſitivum impedimentum rei negatæ.

Videtur quòd non. 1. Quia temporales Negationes dicuntur eſſe intrinſecæ ſuis ſubjectis, & tamen ſæpè non adeſt ullum poſitivum impedimentum temporale, quod ſit intrinſecum illi ſubjecto. Sic enim peccatum habituale, ſeu privatio gratiæ ſanctificantis, eſt intrinſeca peccatori, ut docet Tridentinum; & tamen tunc in peccatore nullum datur intrinſecum poſitivum incompoſſibile cum gratia. Sic etiam tenebræ, ſeu privatio lucis, dantur noctu in hoc àëre, in quo tamen non datur poſitivum impedimentum lucis, quod eſt interpoſitio terræ inter ſolem & nos; hæc enim datur alibi, ut patet. Certè noctu experimur in àëre tenebras, & tamen nullum tunc experimur poſitivum impedimentum. Ergo hujuſmodi Negationes non conſiſtunt in aliquo poſitivo impedimento rei negatæ.

2. Temporale poſitivum impedimentum formæ

mæ poteſt cum ipſa ſæpè ſtare, ſaltem de potentia abſoluta, in eodem ſubjecto, v. g. ſummus calor cum ſummo frigore, forma lupi cum forma agni. At forma & privatio formæ nec divinitùs poſſunt ſecum ſimul ſtare in eodem ſubjecto; aliàs idem ſimul eſſet, & non eſſet. Ergo temporale poſitivum impedimentum non eſt privatio formæ, quam impedit.

3. Si Deus materiam ligni ſpoliaret omni formâ ſubſtantiali, omnibuſq; accidentibus, eſſet tunc privatio formæ ignis, & tamen nullum adeſſet poſitivum impedimentum formæ ignis, hoc enim non poteſt eſſe materia ſecundùm ſe, utpote appetens potiùs omnes formas; non etiam Decretum Dei; quia alioquin ſi deinde generaretur forma ignis, tunc principium intrinſecum per modum Termini à quo talis mutationis eſſet Decretum Dei, cùm tamen hoc potius ſit cauſa efficiens extrinſeca, mutationis.

4. Mutatio ut mutatio eſt, differt à converſione per hoc, quòd mutatio ſit tranſitus ſubjecti à non eſſe formæ ad eſſe formæ, cùm converſio ſit tranſitus ab eſſe unius formæ, ad eſſe alterius formæ, poteſtq; eſſe mutatio, quin ſit converſio, ut accidit in illuminatione aëris, & accideret, ſi materia ſpoliata divinitùs omni formâ, in ſequenti inſtanti reciperet ſuſtentativè formam ſubſtantialem. Si autem non eſſe formæ ſubſequentis in materia, re ipsâ eſt forma præcedens, quatenùs impedit ſubſequentem, iam mutatio non differret realiter à converſione, omniſq; mutatio eſſet converſio, quod eſt falſum.

5. Quidquid ſit de alijs Privationibus temporalibus, ſaltem malitia moralis, ſeu privatio rectitudinis debitæ in actu peccaminoſo, non iden-

tificatur cum ullo poſitivo impedimento, ſed eſt ens abuſivum. Tum quia malitia moralis non eſt prudenter amabilis amore practico, quod eſt de ratione entis poſitivi. Tum quia malitia moralis non eſt ullo modo ſimilis Deo, cum omne ens ſit participatio & ſimilitudo aliqua Divini eſſe. Tum quia, cùm Deus ſit cauſa per ſe omnis entis poſitivi, ſi malitia moralis eſſet realiter ens poſitivum, Deus eſſet cauſa per ſe peccati, quod eſt impium dicere.

§ I. *Reſpondetur.* Proportionaliter diſcurrendo ad ea, quæ diximus quæſtione præcedenti de Negationibus neceſſarijs & æternis, *dicendum eſt*, Negationes temporales ſeu contingentes, formaliter excluſivas in tempore rerum contingentium, identificari à parte rei cum aliquo ente poſitivo temporali, quatenùs impediente rem negatam; paſſivè autem ſumptas hujuſmodi negationes, eſſe ipſas res negatatas, quatenus ab aliquo temporali poſitivo impedimento extrinſece denominantur excluſæ, ſeu nihil. Exemplis res patebit. Privatio formæ ignis in ligno v. g. activè ſumpta, (intellige in ordinario naturæ curſu,) eſt realiter ipſa forma ligni impediens in omni eventu naturali formam ignis. Cæcitas ſeu privatio viſûs activa, eſt tale temperamentum accidentium in oculo, impediens viſionem. Mors ſeu privatio vitæ activè ſumpta, ſunt tales diſpoſitiones receptæ in animali deſtructivæ ipſius. Tenebræ ſeu privatio lucis activè ſumpta, eſt interpoſitio corporis opaci inter illuminabile, & corpus luminoſum; paſſivè autem ſumpta, eſt ipſa lux, quatenus impedita per talem interpoſitionem. Error aut obſcuritas cognitionis, eſt ipſa entitas actûs, per ſeipſam tollens con-

Quid ſit Privatio formæ? *Cæcitas,* *Mors,* *Tenebræ,* *Error,*

conformitatem cum objecto, aut claritatem actûs. Malitia moralis, ſeu privatio activa rectitudinis, eſt ipſe actus peccaminoſus, vitalis, ſpiritualis, liber, per ſeipſum oppoſitus legi æternæ, & impediens conformitatem cum ipſâ. Et ſic de reliquis. *Peccatū.*

§ II. Ratio hujus eſt, quâ utitur P. Eſparza q. 29. de act. hum. quia nullus purus defectus diſtinctus realiter ab omni bonitate, & conſequenter ab omni entitate, poteſt incipere eſſe à parte rei de novo: Ergo cùm Negationes temporales incipiant eſſe à parte rei, non ſunt puri defectus diſtincti realiter ab omni entitate. Conſequentia patet. Probatur Antecedens. Quia omne quod incipit eſſe à parte rei, incipit eſſe, ex vi principij alicujus ex quo reſultat, & à quo determinatur, ut incipiat eſſe, (nihil enim ſeipſum determinat ut incipiat eſſe in tempore, cùm id, quod eſt à ſe, ſemper neceſſariò ſit, nec poſſit pro uſlo inſtanti ſibi negare ſuum eſſe; aliàs eſſet ſibi ſummè invidum.) Quod autem reſultat quomodocunq; ex alio principio, à quo determinatur ut ſit, debet in illo principio aliqualiter præcontineri, illiq; aſſimilari, licet defectuosè; quomodo enim inde aliquid reſultabit, ubi nullo modo continetur? Cum ergo nullus purus defectus, diſtinctus ab omni bonitate, contineatur in ullo principio, nulliq; principio etiam defectuosè aſſimiletur; (non enim Deo, qui eſt purum bonum: non etiam ulli cauſæ ſecundæ, quæ itidem eſt bona, & particeps, quamvis imperfectè, Divinæ bonitatis:) concluditur nullum purum defectum diſtinctum realiter ab omni entitate & bonitate, incipere eſſe à parte rei. Confirmatur. Omne contingens, quod datur à parte *Purus defect⁹ nullam cauſam poteſt habere.*

rei,

rei, datur ex amore innato, vel elicito ſui principij erga ſe: omne enim agens, intendens ad bonum, operatur, ita ut omnis effectus cauſæ ſit vel bonum finaliter intentum ab agente, vel ſaltem medium utile, adeoq; bonum, ad conſequendum aliud bonum finale. Cùm igitur Tenebræ, Silentium, Peccatum, & ſimiles Negationes contingentes, habeant cauſam, & quidem bonam, ut probat S. Thomas 3. contra Gentes c. 10. 3. oportet, ut habeant aliquam bonitatem, ſaltem in ratione medij; vi cujus ſint amabiles à ſua cauſa. Nec ſatis eſt dicere, Privationem eſſe tantum connexam cum aliquo bono. Tum quia Privatio ut diſtincta ab omni connexo habet cauſam, ideoq; ut talis debet eſſe bona. Tum quia ipſum connecti cum aliquo bono, eſt bonum, eſt enim medium prudenter eligibile & amabile in ordine ad ponendum illud bonum, cum quo connectitur. Ergo privatio 2dum ſe eſt aliquo modo bona.

§ III. Verùm ut vis hujus argumenti magis eluceſcat; conſideremus per inductionem univerſalem, omnes imperfectiones ſive phyſicas ſive etiam morâles, quæ dantur à parte rei, & videbimus in omnibus imbibi aliquam bonitatem. In intellectu creato v. g. eſt quidem imperfectio, Potentia errandi, & Potentia cognoſcendi obſcure: at ſimul prima potentia habet hanc perfectionem, quòd ſit potentia cognoſcendi naturaliter ſecreta cordis & futura, quæ ab intellectu limitato cognoſci non poſſunt, niſi fallibiliter; ſecunda etiam potentia habet hanc perfectionem, quòd ſit potentia naturaliter cognoſcendi Deum, qui ab intellectu finito non poteſt cognoſci niſi obſcure. In voluntate creata eſt

Omnis imperfectio eſt aliqua perfectio.

mi-

imperfectio, potentia peccandi: at ſimul iſta potentia eſt potentia removendi à ſe libere & laudabiliter peccatum, & acquirendi glorioſè ſuis meritis felicitatem, quæ eſt perfectio magni æſtimabilis. Loquendo de actibus potentiarum. Dolor eſt quidem defectus & negatio delectationis: ſed ſimul eſt perfectio, quatenùs eſt inductivus fugæ ab objectis noxijs. Error eſt defectus, & negatio veritatis: ſed ſimul eſt cognitio vitalis, ſpiritualis &c. eſtq; utilis ad occultanda ſecreta cordis, propter bonum univerſi. Obſcuritas cognitionis, eſt defectus; ſed eſt bona, quatenùs eſt inductiva meritoriè præmij, quod creſcit creſcente inevidentia præmij propoſiti. Ipſa malitia moralis eſt maxima imperfectio, & ſecundùm aliquos infinita; at ſimul eſt liberum vitale exercitium voluntatis, & ex ſuppoſitione quòd ſit, eſt utilis ad quoſdam effectus phyſicos, v. g. delectationis, necnon ad oſtenſionem Divinæ juſtitiæ, & miſericordiæ, immo ad exiſtenſtentiam in univerſo aliquarum virtutum, puta Pœnitentiæ, Martyrii &c: Eodem modo philoſophandum eſt de aliis omnibus imperfectionibus phyſicis, quas miſtas eſſe cum aliqua bonitate ita probat Auguſtinus lib: contra Epiſt: Fundam: Manich. c. 30. *Vitupero tecum peſtem, cæcitatem turbidam, horribilem vehementiam, corruptibilitatem, immanitatem: lauda tu mecum* (in illis) *ſpeciem, diſtinctionem, ordinem &c.* Et ſubdit: *Sic intelligerent Manichæi, ſi tamen ſine pertinacia vellent attendere, bona & mala ſe miſcere.*

§ IV. Patet ergo univerſali inductione, omnem Negationē à parte rei non diſtingui ab omni bonitate, ſaltem delectabilitatis, aut utilitatis ad aliquem finem, vel ſaltem ad oſtendendam eminen-

tiam

tiam Divinarum perfectionum; eo modo, quo à Muſicis & Oratoribus eligitur ipſum ſilentium, ad diſtinctionem vocum, & numerum periodorum, & quo pacto Auguſtinus in Confeſſ: dicit: *Peccatores in univerſo eſſe veluti umbras, cum quibus omnia pulchra ſunt, cùm ipſi turpes ſint.* Quapropter cùm defectus abſolutè vocantur Negatio & nihil, id fit vel in ſenſu formali, vel à potiori deſumptâ denominatione: quia ſcilicet majus bonum excludunt, quàm ponunt; quo pacto 1. de Gener. tex: 18. & 19. minus ſenſibile & minus perfectum, comparatione magis ſenſibilis & perfecti, dicitur non ens: vel deniq; quia defectus ut tales, oriuntur non ex participatione Divinæ perfectionis, ſed ex limitatione creaturæ procedente ex nihilo, & tendente in nihilum.

Cur imperfectio dicitur eſſe nihil?

Cæterùm non ſolùm omnis imperfectio poſſibilis, eſt miſta cum perfectione: ſed quod eſt mirabile, omnis creatura imperfectior, habet aliquam perfectionem, quâ caret creatura perfectior. Cùm enim omnis creata perfectio menſuretur per acceſſum ad perfectionem Divinam; atq; in Deo ſit duplex perfectio, prima quòd habet omnem gradum perfectionis, ſecunda quòd ita ſit; ut non accipiat ullam perfectionem à cauſa; hinc eſt quod creaturæ, quò ſunt perfectiores, eò magis imitantur primam Dei perfectionem, quæ eſt habere omnem perfectionem, ſed ſimul eò magis recedunt à ſecunda perfectione, quæ eſt nihil accipere à cauſa; (ſiquidem quò creatura habet plures perfectiones, eò plura accipit à cauſa:) è contra creatura quò eſt imperfectior, eò magis quidem recedit à prima perfectione Dei, quæ eſt habere omnem perfectionem, (& in hoc ſimpliciter exceditur à creatura perfectiori,)

Creatura imperfectior excedit in aliqua perfectione creaturã perfectiorẽ.

ſed ſimul eò accedit magis ad ſecundam Dei perfectionem, quia habet eſſe minùs acceptum à cauſa, & in hoc excedit creaturam perfectiorem.

§ V. Atq; ex his ulteriùs conſtat non dari puram corruptionem; quia ſcilicet remotio unius formæ eſt poſitio alterius incompoſſibilis, vel in eodem ſubjecto, ut accidit in omni converſione; vel alibi, ut accidit in pura mutatione, ut cum aër, ex illuminato fit noctu tenebroſus; tunc enim etiam producitur ubicatio ſolis apud Antipodas. Et ratio eſt: quia natura intantùm producit defectum, inquantum intendit producere bonum limitatum incompoſſibile cùm altero bono. Conſtat etiam non dari puram omiſſionem liberam; quia quælibet omiſſio libera actûs, vel actuum, eſt libera poſitio actûs incompoſſibilis cum illo vel illis, qui omittuntur, eſtq; voluntatis, utpote rationabiliter ſe determinantis, adhæſio ad aliquod motivum, ex cujus amore omittit alium, vel alios actus. De quo egi in qq. ſelect. ad 1m 2dæ qu. 1. Vide etiam quæ ibi dico qu. 3. de privatione rectitudinis actui malo identificata.

Non datur pura corruptio.

Nec pura omiſſio libera.

Ad 1. P. Sylveſter Maurus q. 49. Log: docet omnes privationes eſſe entitates poſitivas intrinſecè receptas in ſubjectis, additque privationes excluſivas perfectionis indebitæ eſſe quaſi ſubſiſtentias poſitivas accidentales; v. g. tenebras eſſe quandam ſubſiſtentiam accidentalem poſitivam, per quam terminatur aër, & ſiſtit in ſua perfectione, ſine luce ſibi indebita, eo modo quo natura humana ſubſiſtens, per modum quendam ſubſtantialem ſiſtit in ſuo eſſe. Iam verò Cardinalis Sfortia lib. 5. de Incarnat: c. 11. docet Privationes eſſe relationes poſitivas realiter modaliter

liter intrinſecè ſuperadditas ſubjectis, per quas ſubjectum reſpicit cauſas, à quibus ultimò determinatur ad carendum forma. Verùm ne immorer aliis impugnationib⁹ harum poſitionum, non ſunt multiplicanda iſta entia ſine neceſſitate, ut patebit ex reſponſione tum ad hoc, tum ad alia argumenta. Dico ergo potiùs, Privationes excluſivas perfectionis à ſubjecto, eſſe poſitiva impedimenta illius perfectionis. Quæ quidem impedimenta, aliquando intrinſecè recipiuntur in ipſis ſubjectis, in quibus tollunt perfectionem, ut accidit in cæcitate, in qua accidentia impedientia viſionem, recipiuntur in oculo: aliquandò verò ſunt extra illud ſubjectum, in quo tollunt formam, ut accidit in tenebris, peccato habituali &c. ſiquidem impedimentum lucis in aëre, eſt extrinſeca aëri interpoſitio corporis opaci, & ſimiliter impedimentum gratiæ in peccatore, eſt peccatum actuale præteritum non retractatum, quatenùs datur *in legibus æternis* DEI, ut ait Auguſt:,ſeu in decreto privandi peccatorem gratiâ, vel quid ſimile, de quo egi in ſel. qq. ad 1m 2dæ q. 5. Nihilominus tamen etiam hujuſmodi privationes conſtitutæ per impedimenta formæ, extrinſeca ſubjectis, ſunt intrinſecæ ſubjectis, non per poſitionem alicujus intrinſeci poſitivi vel abuſivi in ſubjectis, ſed per ablationem alicujus intrinſecæ perfectionis in ſubjecto, ita ut iſtud impedimentum ſecundùm ſuam entitatem poſitivam ſit extrinſecum ſubjecto, ſit verò eidem intrinſecum in ratione afficientis privativè ſubjectum, & ratione boni intrinſeci quo privat ſubjectum, v. g. Privatio lucis eſt intrinſeca aëri, non quia tunc ponitur aliquid etiam abuſivum, intrinſecum aëri, ſedquia tollitur, vel

Quomodo Privationes ſint intrinſecæ ſubjectis?

vel impeditur perfectio intrinſeca aëri, quam profectò tollere & impedire poteſt formaliter & immediatè aliquid extrinſecum, quod non eſt in aëre, puta interpoſitio illa terræ inter ſolem & aërem; ſicut ego etiam nunc exiſtens hìc, per meam nolitiouem poſſum impedire præſentiam mei ultra milliare. Vide ea quæ dixi in qq. ſeleƈt. ad 1m 2dæ qu. 5. ad ult. Ad illud quod dicitur: Nos noctu experiri tenebras; dico, non experimur ita, quaſi tenebræ moveant nos per ſe, vel per ſuam ſpeciem, ad cognitionem ſui; quia nec Adverſarii hoc dicent; aliàs non enti tribuerent cauſalitatem effectivam ſpeciei, aut cognitionis; ſed intantùm dicimur experiri tenebras, inquantùm non experiendo lucem, certificamur ſine ullo diſcurſu, de veritate hujus propoſitionis: *Non eſt lux*; habituri aliàs cognitionem experimentalem de luce in ſeipſa. Et ideò dixit Auguſtinus: *Tenebræ non videndo videntur, videndo non videntur.*

Ad 2. Aliqua impedimenta ſui oppoſiti, ſecundùm ſe conſiderata, ſunt privatio ipſius, ſolùm in ordinario curſu naturæ, quo pacto ſummum frigus eſt privatio caloris, forma lupi eſt privatio formæ agni &c. unde ut hujuſmodi ſint privatio ſui oppoſiti pro omni eventu poſſibili, ſumi debent cum Decreto Dei nolente patrare miracula. Nec mirum ſit, quòd recurramus ad Deum, quia etiam ab arguente recurritur ad caſus miraculoſos; qui ſolius Dei diſpoſitioni ſubſunt. Immò à pleriſq; Adverſariis, etiam in ordine naturali, ſæpè recurritur ad Deum, citra noſtram admirationem, ut cùm agitur de productione viventium ex putri, de determinatione ad individuationem effectûs, de determinatione

ad productionem aut corruptionem hujus potiùs, quàm alterius omninò ſimilis gradûs intenſionis &c.

Ad 3. Ob eandem cauſam, in caſu illo miraculoſo, quo materia exiſteret ſpoliata omni formâ ſubſtantiali, & accidentibus, Privatio activa formæ inducendæ in illam materiam, eſſet Decretum Dei nolens pro illo inſtanti exiſtere formam in illa materia, ſed pro tempore ſequenti: unde ſi deinde induceretur forma in talem materiam, talis mutationis principium intrinſecum per modum termini à quo, eſſet objectivè Decretum Dei, non tamen ſub conceptu Decreti (ſub quo conceptu eſt potiùs cauſa efficiens,) ſed ſub conceptu confuſo & univerſali, Excluſivi formæ in materia, quod etiam cum admiratione ſumptum, non eſt inconveniens, donec probetur oppoſitum.

Mutatio quo differt à converſione?

Ad 4. Mutatio quâ talis, differt à converſione ut converſio eſt; quia hæc eſt tranſitus ſubjecti à formâ præcedente quatenùs informante materiam, ad alteram formam quatenùs informativè receptam in eâdem materia: at mutatio ut mutatio, eſt tranſitus ſubjecti ab aliquo poſitivo impedimento excludente à materia formam ſubſequentem, ſive hoc impedimentum ſit forma præcedens recepta in eadem materiâ, ſive aliquod ens extra illam materiam, ſive aliquid creatum, ſive Decretum Dei. Hinc latiùs patet Mutatio quam Converſio, omniſq; converſio eſt mutatio, ſed non è converſo. Atq; ita illuminatio aëris eſt mutatio, quia per eam tranſit aër à privatione lucis ad lucem; quæ privatio non eſt ulla forma præcedens recepta in materia aëris, (uti debet accidere in Converſione,) ſed eſt extrinſe-

ſe

ſecum impedimentum lucis in aere, nempe ubicatio ſolis apud Antipodas.

Ad 5. Propter has rationes P. Antonius Perez docuit ſolam privationem rectitudinis in actu peccaminoſo, ſeu malitiam moralem, eſſe ens abuſivum, non quidem tanquam aliquid conſequens ad actum peccaminoſum, ut alii dicunt, (quia ſic malitia moralis, utpote neceſſariò conſequens ex ſuppoſitione actûs antecedentis cauſati à Deo, non eſſet contra voluntatem Dei, qui non vult impoſſibilia, cauſareturq; à Deo cauſante illum actum, ex quo neceſſariò ſequitur, ſicut cauſatur à voluntate creata ob eandem rationem;) ſed potiùs tanquam aliquid præcedens actum malum per modum actionis determinantis voluntatem creatam ad exercendum actum malum: docebat autem, hanc actionem eſſe negativam: quia non eſt prudenter practicè amabilis, ſed potiùs eſt excluſiva omnium actionum prudenter amabilium. Sed contra hanc ſententiam facit primò: quia de ratione malitiæ moralis eſt vituperabilitas, & conſequenter determinatio libera voluntatis, v. g. ad odium Dei, ideoque de ratione ipſius eſt ipſum vivere & moveri ab intrinſeco, quod patet eſſe prædicatum poſitivum. Contra ſecundò: quia gratis aſſumitur, de ratione entis poſitivi eſſe, ut ſit prudenter practicè amabile; nam etiam actus poſitivus odii Dei, ſequens illam Privationem, non eſt prudenter practicè amabilis; cùm in omni eventu, meliùs ſit poni contradictorium illius actûs, quàm ipſum actum. Sufficit ergo ad eſſe ens poſitivum, bonitas utilitatis ad aliquem effectum; & hæc non deeſt illi determinationi, quæ proinde eſt etiam practicè, (licet imprudenter,) amabilis in ordi-

Malitia peccati nō diſtinguitur realiter ab actu malo.

ne ad bonum delectabile, ac proinde adhuc debet eſſe ens poſitivum. *Dicendum ergo eſt* cùm citato P. Eſparza & C. Sfortia lib. 1. de Act. hum. cap. 17. privationem rectitudinis debitæ ineſſe operanti, (quæ eſt formale peccati,) à parte rei identificari cum vitalitate, ſpiritualitate, libertate &c. actûs mali, quæ prædicata dicuntur materiale peccati, utpote communia etiam actui bono. Quare malitia moralis, ſolùm in ſenſu formali, & præciſivo, nullo modo eſt ſimilis Deo, id eſt, non explicat perfectionem ullam Dei; ſicut nec potẽtia peccandi, aut moriendi; quamvis hæc omnia identicè & adæquatè ſumpta, dicant aliquam bonitatem phyſicam ſimilem Deo. De quo ex profeſſo ago in qq. ſel. ad 1m 2dæ qu. 3.

Cæterùm Deus concurrẽs immediatè ad omne ens, adeoq; ad materiale peccati, non eſt cauſa moralis nec phyſica malitiæ, ſeu rationis formalis in peccato. Ratio eſt, quia cauſare defectum, ut defectus eſt, non eſt quomodocunq; concurrere ad exiſtentiam ipſius, & ad omnia prædicata identificata realiter cum ipſo, ſed eſt concurrere per modum principii deficientis vel à regula morum, (ſi defectus eſt moralis;) vel per modum principii deficientis à virtute activâ, (ſi defectus eſt phyſicus.) Quod docet non ſemel D. Thomas; unde etiam dicit 3. contra Gen. c. 4. & 14. *ex defectu cauſæ ſequi defectum effectûs*: patetq; hoc ipſum inductione, & familiari in hac re, exemplo claudicationis, quæ ut talis, hac de cauſa tribuitur ſoli tibiæ fractæ. Cùm ergò ad exiſtentiam actûs mali, omniaq; ejus prædicata, ſola voluntas creata concurrat tanquam principium deficiens tum à regula morum, nempe à lege Dei, tum à virtute activa, quatenus non ha-

Cur Deus nõ ſit cauſa per ſe & propriè peccati.

bet cognitionem perfectam, immobilitatem in bono &c; Deus autem concurrat purè efficienter: hinc eſt quod non Deus, ſed ſola voluntas creata eſt cauſa moralis & phyſica actus mali, ſecundum formale peccati, (quod formaliter in defectu conſiſtit,) ſpectati; Deus verò ad ſummum dicitur cauſare, idq; per accidens, (ut mox dicetur,) materiale peccati, utpote conſiſtens formaliter in poſitivo. Quæ eſt doctrina Auguſtini 12. de Civit: cap. 7. ubi ſic ait: *Nemo quærat cauſam malæ voluntatis, non eſt enim efficiens ſed deficiens, quia neq; illa eſt effectio, ſed defectio.* Et quamvis Deo concurrenti tribuatur tantum materiale peccati, voluntati autem creatæ tribuatur formale; per hanc tamen attributionem formalitatum non ſignificatur ulla diſtinctio objectiva, materialis à formali in peccato, immò nec diverſitas realis actionum procedentium à duobus principiis: ſed tantùm ſignificatur diverſa conditio principiorum, ad totum eundem indiviſibilem effectum, concurrentium per eandem quidem indiviſibilem realiter actionem, quæ tamen actio aliter denominatur, ut procedit ab uno principio, aliter ut ab alio: eo modo, quo ob ſolam diverſam conditionem principiorum, aliter dicitur concurrere in actum vitalem ſupernaturalem potentia vitalis, aliter auxilium ſupernaturale: hæcq; ſolùm diverſitas concurrendi ſignificatur, abſq; ulla diſtinctione objectiva formalitatum in actu, dum dicitur: *Potentia cauſat actum, ut vitalis eſt, & non ut ſupernaturalis: Auxilium autem ſupernaturale cauſat eũdem actum ut ſupernaturalis, & non ut vitalis eſt.* Videatur S. Thom. 1. 2. q. 79. ar. 2. & qu. 3. de cauſa peccati. ar. 1.

Illud hic addendum etiam eſt, quod nullum prædicatum actûs mali Deus cauſat per ſe, ſicut per ſe cauſat prædicata actûs boni moraliter, ut definit Trident: Conſtat enim per inductionem, quod cauſa per ſe effectûs eſt illa, quæ concurrit ad effectum vel determinans contingentiam ipſius ad unam partem; vel determinata ex ſe in actu primo, ſeu inclinata ex ſe ad illum producendum. Et hac de cauſa etiam intellectus, cauſat per ſe intellectionem, quia concurrit ad illam, non ſolùm determinatus à ſpecie impreſſa, ſed etiam ex ſe determinatus in actu primo, quatenus ex ſua natura habet inclinationem ad ſuos actus producendos; idem dic de ſole, quamvis indigente aliquo complemento ex parte paſſi, determinante ſolem, ut potiùs liquefaciat quàm induret; idem de aliis cauſis per ſe. E contra verò ob contrariam rationem, nec tibia recta eſt cauſa per ſe claudicationis, nec altera præmiſſa univerſalis & neceſſaria eſt cauſa per ſe concluſionis particularis & contingentis; quia hæ cauſæ non determinant hujuſmodi effectus, ſed potiùs ad oppoſitos ex ſe propendent. Cùm ergo Deus non concurrat ad ullum prædicatum actûs mali, determinans ipſum, nec determinatus ex ſe in actu primo ad illud producendum, quin potiùs concurrat cum inclinatione ad prædicata actûs boni oppoſiti, tam innata quàm elicita, movendo etiam nos ad actum bonum, nec ponendo aliquid in homine per ſe ordinatum ad actum malum; è contra verò cùm voluntas creata concurrat ad omnia prædicata actûs mali, ut determinans contingentiam ipſorum, ipſumque Deum, ut ſub hoc auxilio concurrat ſecum ad peccandum: propterea ſola voluntas creata,

omni-

omnium prædicatorum actûs peccaminoſi, eſt cauſa per ſe.

DISPUTATIO III.
De Attributis Entis.

TRia ſunt Attributa Entis, Unum, Verum, Bonum, ſicut etiam Eſſentiæ Divinæ ſunt tres proprietates relativæ, nempe Paternitas, cui Auguſtinus appropriat Unitatem, (eò quòd Pater Divin' ſit principium pluralitatis perſonarum,) Filiatio cui appropriatur Veritas, & Spiratio paſſiva, cui appropriatur Bonitas; & ita in quolibet ente eſt veſtigium imperfectum Trinitatis. De his ergo Attributis entis, ultra dicta d. 1. q. 1. hoc loco agendum eſt, potiſſimùm de Uno, quod eſt maximè in ſcientiis neceſſarium, & conſequenter de Diſtinctionibus tanquàm de oppoſito unitatis. Et quidem primò agemus de Unitate ac Identitate reali ſimpliciter, item de Diſtinctione formali ex natura rei, necnon Virtuali, & Præciſionibus, diſtinctioneq; rationis. 2do, de unitate univerſali. 3tio de differentia ſpecifica. 4tò de Diſtinctione Modali. 5tò de Vero & Bono.

QUÆSTIO I.

Utrùm in una eâdemq; realiter ſimpliciter entitate creatâ, poſſit dari Diſtinctio formalis ex natura rei? aut Diſtinctio Virtualis in ordine ad aliqua contradictoria? & præciſio, ac Diſtinctio rationis objectiva?

VIdetur quod ſic 1. Quia Animal Petri eſt prius quàm Rationale ejuſdem Petri: eſt magis indifferens, ac pluribus commune. Item

Animal Petri eſt id per quod Petrus eſt ſimilis Bruto, Rationale autem eſt id per quod Petrus eſt ultimò diſſimilis Bruto. Præterea homo per Animalitatem ſentit, non intelligit, per Rationalitatem intelligit, non ſentit. Sed iſta ſunt contradictoria prædicata, ſaltem arguitivè, dicta de Animali & Rationali Petri, quæ ſunt una eademque realiter ſimpliciter entitas creata. Ergo de una realiter ſimpliciter entitate creata poſſunt dici duo contradictoria prædicata. Ulteriùs; At hæc non poſſunt dici de his, quæ nullo modo objectivè diſtinguuntur. Ergo in Animali & & Rationali Petri, ponenda eſt aliqua Diſtinctio objectiva minor reali ſimpliciter, ſcilicet vel Formalis ex natura rei, ut volunt Scotiſtæ, vel Virtualis, ut volunt Thomiſtæ, & aliqui ex noſtris, ratione cujus verificentur iſta prædicata contradictoria de Animali & Rationali Petri. Nec enim hoc jam implicabit; quia non dicentur contradictoria de eodem realiter ſecundùm omninò idem, nec reſpectu omninò ejuſdem, ſed reſpectu diſtinctarum formaliter ex natura rei, aut virtualiter formalitatum.

2. Communis ſententia fert, dari Univoca & Analoga, atque Ens eſſe Analogum reſpectu DEI, & creaturæ, Animal autem eſſe Univocum reſpectu Hominis & Bruti. At ratio diſcriminis inter Ens & Animal, non poteſt eſſe alia, niſi hæc, quòd Animal, ex parte objecti, (ſive formaliter ex natura rei, ſive Virtualiter) diſtinguatur à differentiis ſuorum inferiorum, puta à rationalitate, & irrationalitate, ſecus autem ens à differentiis DEI & creaturæ, puta ab Aſeitate & Abalietate. (Sic enim fit, ut ratio animalis diſtincta objectivè à differentijs hominis

& bru-

& bruti, ſit omninò formaliter ratio conveniendi, & nullatenùs differendi homini & bruto, [quod eſt eſſe ratione univocam;] ratio verò entis ſit formaliter partim ratio conveniendi Deo, & creaturæ, [quatenùs tam Deus, quàm creatura ſunt formaliter Ens;] partim ratio differendi, quatenus ratio entis objectivè includitur in Aſeitate & Abalietate, quæ Deo & creaturæ, ſunt formaliter ratio differẽdi; (qualis ratio conveniendi, partim differendi, eſt ratio Analoga.) Diſtinguitur ergo Animal à differentiis ſuorum inferiorum aliquâ diſtinctione objectiva, ſive virtuali, ſiue formali ex natura rei, licet ſit ſecus philoſophandum de ente vt ſic.

3. Specialiter arguitur pro Diſtinctione formali ex natura rei, Animal & Rationale Petri, non obſtante identitate reali rigoroſa, quam habent inter ſe, quantùm ex vi ſuæ eſſentiæ, ſunt actu nemine cogitante, diuerſæ conceptibilitates, & definibilitates; ſiquidem Animal Petri, quantùm ex vi ſuæ eſſentiæ, actu nemine cogitante petit definiri per hoc, quòd ſit principium ſentiendi, non autem ratiocinandi; ſicut è contra petit definiri Rationale. Et ratio eſt; Tum quia alioquin ubicunq; eſſet Animal, adeoq; etiam in bove, eſſet ubiq; principium ratiocinandi, non enim poſſet carere alicubi ſuâ definitione conveniente ſibi ex vi ſuæ eſſentiæ: Tum quia ſequeretur illam definitionem Animalis, quæ ipſi convenit ex vi eſſentiæ, *Animal eſt principium ſentiendi*, eſſe inadæquatam & inſufficientem. Quod utrumq; cum ſit inconveniens, ſequitur Animal & Rationale Petri, à parte rei actu, eſſe diverſas conceptibilitates. Sed hoc eſt diſtingui aliqua formaliter actu à parte rei Ergo prædictæ

dictæ formalitates diſtinguntur formaliter actu à parte rei, quamvis ſint idem realiter rigoroſè.

4. Ut arguit quidam, Poſſibilia ſunt aliqua, etiam divinitùs ab invicem inſeparabilia, ideoq; ſecum realiter ſimpliciter identificata, quorum tamen unum à parte rei verè non ſit aliud. Sed iſta diſtinguerentur formaliter à parte rei & tamen eſſent idem realiter Simpliciter. Ergo ſaltem eſt poſſibilis talis diſtinctio formalis à parte rei; immò probabile eſt quòd detur de facto alicubi, licet nos neſciamus ubi detur, & licet non detur inter gradus metaphyſicos.

5. Specialiter arguitur pro Diſtinctione virtuali verificante duo contradictoria de eodem realiter ſimpliciter objecto creato, quæ vulgo dicitur Virtualis intrinſeca. Unum idemq; objectum creatum realiter ſimpliciter indiviſibile, æquivalet per ſeipſum intrinſecè pluribus realiter diſtinctis, puta idem homo æquivalet plantis & brutis. Hæc autem æquivalentia eſt diſtinctio virtualis intrinſeca; ſicut enim piper dicitur virtualiter intrinſecè calidum, quia licet non habeat actu in ſe calorem, habet tamen talem virtutem, quæ æquivalet calori: ita & objectum, nullam habens actu diſtinctionem realem, habens tamen in ſe intrinſecè virtutem æquivalendi pluribus realiter diſtinctis, debet dici diſtinctum virtualiter intrinſecè. Datur ergo diſtinctio virtualis intrinſeca in creatis.

6. Datur in Divinis diſtinctio virtualis intrinſeca, (præſertim in myſterio Divinæ Trinitatis, ut jam communiter docent Theologi) verificans à parte rei de Eſſentia & Paternitate, illa contradictoria, *Communicari, non Communicari*, & ſimilia. Ergo ſimilis diſtinctio, poteſt etiam dari

dari in creatis. Tum quia talis diſtinctio ſicut non obſtat ſummæ ſimplicitati Divinæ, ſic non obſtabit etiam minori ſimplicitati creatæ: Tum quia creaturæ imitantur DEUM, quantum poſſunt tanquam ſuam primam cauſam.

7. Arguitur pro præciſionibus objectivis: Dum video à longè moveri Petrum, ſolùm tunc cognoſco eſſe animal, & non cognoſco eſſe rationale: Tum quia ſolùm tunc habeo indicium cognoſcendæ animalitatis in Petro, nempe motum progreſſivum; qui ſi ſufficeret ad cognoſcendam rationalitatem, ſemper viſo à longe ſimili motu, etiam bruti, (utpote perinde ſe habente ad meam viſionem, dum cauſatur à bruto, ac ſe habet, dum cauſatur ab homine,) cognoſcerem ex parte objecti Rationale, quod eſt falſum: Tum quia nullam tunc habeo ſpeciem impreſſam, determinativam ſuâ cooperatione intellectûs mei, ad cognoſcendam rationalitatem: Tum quia poſſum tunc de illo objecto negare, quòd ſit rationale, quod fieri non poſſet, ſi cognoſcerem illud eſſe rationale. Præſcindo igitur tunc objective formalitates ſecum realiter ſimpliciter identificatas, ut patet ex notione Præciſionis objectivæ. Confirmatur: quia ſaltem tunc Animal cognoſco clarè, & formaliter; Rationale autem non ita clarè, ſed confusè & materialiter: hæc autem non minùs ſunt contradictoria, quàm cognoſci Animal, & non cognoſci rationale; cùm tamen ideo negentur Præciſiones objectivæ, ne contradictoria dicantur de eodem realiter objecto.

8. Sicut duæ imagines, ita & duæ cognitiones, (quæ ſunt imagines intentionales) non poſſunt eſſe diverſæ, niſi repræſentent diverſa exempla-

ria

ria & objecta, à quibus proinde dicitur ſpecificari. Cùm ergo diverſa ſit cognitio, quâ apprehendo Animal Petri ab illa, qua apprehendo Rationale ejuſdem; oportet etiam objecta iſtarum apprehenſionum eſſe aliquo modo diverſa, nec attingi idem omnino objectum per utramq; ex his cognitionem, quod eſt præſcindere objectivè. Nec valet recurrere ad diverſa realiter connotata, in ordine ad quæ cognoſcatur idem objectum per diverſas cognitiones. Nam ipſum connotatum hujus v. g. apprehenſionis, *Animal Petri*, puta Senſatio; poteſt rurſus terminare diverſas cognitiones inadæquatas, & præciſivas, poteſtq; ibi rurſus præſcindi ratio actûs vitalis, operationis, accidentis: hæc autem præciſio & diverſitas cognitionum non poteſt rurſus refundi in diverſitatem connotatorum, aliàs daretur proceſſus infinitus in connotatis. Non igitur præciſio & diverſitas cognitionum inadæquatarum provenit à diverſis ejuſdem objecti connotatis. Confirmatur: quia ut arguit P. Maurus qu. 32. Log: ſicut quævis alia potentia, ita multò magis intellectûs, debet eſſe benè conſtitutus circa objectum ſibi proportionatum, quod reſpectu noſtri intellectûs, eſt Quidditas rei materialis. Si autem hanc omninò objectivè ſimplicem, pluribus diverſis, & inadæquatis cognitionibus attingeret intellectus noſter, jam non eſſet bene conſtitutus circa ſibi proportionatum objectum. Immo hoc modo fingeret, attingendo inadæquatè id, quod in ſeipſo eſt adæquatè. Non igitur quidditas rei materialis, (quidquid ſit de re ſpirituali, quæ non eſt objectum proportionatum noſtri intellectûs,) eſt omninò ſimplex objectivè.

9. Com-

9. Communiter dicitur, Speciem v. g. Hominem componi per rationem ex genere & differentiâ, puta ex animali & rationali, tanquam totum quoddam actuale metaphyſicum, ex duplici parte, quarum una ſit materialis & determinabilis, altera formalis & determinativa. Cum ergo omnis compoſitio, ſit diſtinctorum in ſuo genere, unio, oportet diſtingui ratione noſtrâ & metaphyſicè genus à differentia, & quidem ex parte objecti, & non tantùm ex parte conceptuum formalium, quia alioquin ſequeretur ſpeciem. v. g. Hominem componi metaphyſice ex duobus conceptibus formalibus, quod eſt abſurdum.

Ultimò. In omnium ſententia, de Animali & Rationali Petri verificantur hæc prædicata contaadictoria ſecundò intentionalia, quòd Animal Petri diſtinguatur ratione noſtrâ à Rationali, non autem diſtinguatur hoc modo Rationale à Rationali. Ergo etiam poterunt de illis verificari hæc alia, *Cognoſci* & *non Cognoſci.* Nec valet hic recurrere ad diverſos conceptus formales, quibus ſubſtat Animal & Rationale. Quia Tò *Diſtingui* & *Non diſtingui ratione noſtrâ*, non cadit ſupra conceptus formales Animalis & Rationalis, (hi enim potius diſtinguuntur realiter inter ſe,) ſed cadit ſupra ipſum Animal & Rationale objectivè ſumpta, quæ proinde oportet eſſe aliquòmodo objectivè diſtincta.

§ I. *Reſpondetur*. Ad evidentiam hujus Quæſtionis præmittenda eſt imprimis notio Vnitatis, Multitudinis, Identitatis, Diſtinctionis. Unitas ex 5. met. ſupra ens ſuperaddit ex modo noſtro concipiendi negationem diviſionis in plura talia, quale eſt ipſum, eſtq; ipſum ens pro- *Quid Vnitas?* *Multitudo*

ut

Identitas ut eſt indiviſum in ſe. Multitudo, ſunt ipſæ unitates in recto acceptæ, quatenùs hæc non eſt illa. *Diſtinctio* Identitas eſt vera affirmabilitas prædicatorum de ſeipſis. Diſtinctio è contra eſt verá negabilitas unius de altero; ita tamen ut in Diſtinctione unum extremum concipiatur in recto, alterum in obliquo; per quod differt à Multitudine, in qua omnia extrema concipiuntur in recto. Quæ definitiones, utpote Terminorum univerſaliſſimorum & per ſe notorum, traduntur juxta regulam explicatam diſp. 1. q. 1. Non male etiam definitur Identitas a R. R. hoc modo: *Eſt ſumma communicatio prædicatorum inter ſe, per quam unum tantùdem communicatur alteri ac ſibi ipſi.* Diſtinctio verò erit oppoſitus diſſenſus prædicatorum inter ſe. His ita prænotatis, in hac quæſtione ſtatuendum eſt imprimis pro fundamento totius doctrinæ de Diſtinctionibus. Nulla prædicata contradictoria poſſe verificari de aliquibus, ſine aliqua ipſorum diſtinctione ſimpliciter reali, ſaltem in tertio prædicato. 2dò ex hoc principio reijcienda eſt diſtinctio formalis ex natura rei Scotiſtica, necnon Virtûalis diſtinctio in ordine ad verificanda contradictoria de eadem realiter ſimpliciter entitate, excludente realem etiam in tertio diſtinctionem. 3tiò agendum eſt ex hac occaſione obiter aliquid de Diſtinctione reali in tertio, an detur alicubi, & an ſufficiat ad verificanda à parte rei aliqua contradictoria, de extremis inter quæ datur. 4tò ex eodem principio negandæ erunt Præciſiones objectivæ ibi, ubi non intercedit Diſtinctio realis in tertio, & declarandæ Præciſiones formales ex parte actûs. Tandem explicanda erit Diſtinctio rationis, & ſolvendæ objectio-

objectiones contra determinatam doctrinam jam propoſitæ. Ad vitandam verò confuſionem hæc omnia per plura puncta expendemus.

PUNCTUM I.

Statuitur, nulla poſſe contradictoria verificari de uno eodemq; objecto, nullam admittente Diſtinctionem ſimpliciter realem.

§ II. Eſt ergo primum principium lumine naturæ notum; *Impoſſibile eſt idem eſſe & non eſſe*, ſeu quod idem eſt, non poſſe duo prædicata contradictoria, (hæc enim ſemper ſunt eſſe & non eſſe ejuſdem formæ), verificari de eodem objecto. Hoc verò principium ſine dubio intelligendum eſt de eſſe & non eſſe, comparatione ejuſdem realiter termini; nemo enim dubitat Pigmæum eſſe magnum reſpectu muſcæ, & non magnum reſpectu Enceladi. Cæterum hoc principium non eſſe ita limitandum, ut prædicata contradictoria, (ſemper hic accipio comparatione ejuſdem termini,) poſſint verè dici de eodem realiter ſubjecto, nullam admittente Diſtinctionem ſimpliciter realem, dummodò ſit diſtinctum formaliter ex natura rei Scotiſticè, aut virtualiter ſine Diſtinctione reali in tertio, ſic oſtenditur. Omnia prædicata contradictoria, cùm ſemper ſint ex ſuo conceptu *Eſſe* & *Non eſſe* ejuſdem formæ, ſecundum ſe conſiderata, neceſſariò ſibi opponuntur oppoſitione maxima, diſtantq; à ſe, & actu, mutuò ſibi repugnant, ſeq; excludunt ſeipſis à parte rei ſaltem mediatè. Ergo neceſſariò in ſuo conceptu includunt aliquam Diſtinctionem ſimpliciter realem ſaltem mediatam, & non ſolùm realem formalem Scotiſticam, aut virtualem conjunctam cum

Declaratur hoc principiũ & declaratio probatur.

cum omnimoda identitate ſimpliciter reali, tàm immediata, quàm mediata: nihil enim ſibi ipſi opponitur oppoſitione maximâ, nihilq; à ſeipſo diſtat entitativè, ſibiq; actu repugnat, ac ſe excludit nemine cogitante. Conſequens igitur eſt ut in quodcunque objectum, per enuntiationem veram, invehuntur aliqua contradictoria prædicata, neceſſariò ſecum in illud objectum invehant aliquam, quam in ſuo conceptu includunt Diſtinctionem realem, ſaltem mediatam, ſeu in tertio prædicato, & conſequenter in illo objecto deſtruant diſtinctionem formalem ex natura rei, & virtualem ſupradictam, ut proinde verum ſit non poſſe verificari duo contradictoria de eodem omninò realiter ſimpliciter ſubjecto, reſpectu diverſarum nonniſi formaliter ex natura rei, aut virtualiter modo dicto, ejuſdem ſubjecti formalitatum, quod erat probandum.

Prima reſponſio reijcitur primò

§ III. Nec ſatisfaciunt quidam reſpondendo: aliqua prædicata contradictoria non ſe negare & deſtruere realiter rigorosè, ſed tantum virtualiter à parte rei, vel formaliter ex natura rei, poſſeq; proinde à parte rei verificari de eadem omninò realiter ſimpliciter entitate, beneficio ſoliùs virtualis aut formalis ex natura rei alietatis. Contra enim eſt primò, quia omne univerſaliter loquendo *Eſſe*, nulli magis opponitur, quàm ſuo *Non eſſe*; & ideo inter nullum *Eſſe*, ejuſdemq; *Non eſſe*, dari poteſt medium. Si ergo aliquod *Non eſſe* v. g. *Non eſſe cognoſcibile in ſenſu formali*, (ut iſti dicunt,) non negat realiter ſimpliciter ſuum *Eſſe*, puta *Eſſe cognoſcibile in ſenſu formali per eandem cognitionem*, ſed tantùm negat cum illo identitatem ſui formalem ex natura rei, vel purè virtualem; verum utiq; erit idem

idem aliquando ſibiipſi opponi oppoſitione maximâ, quod ſanè eſt inconveniens.

§ IV. Contra ſecundò, quia ſi aliquod *Non eſſe*, v. g. Non eſſe hircum, ita realiter ſimpliciter negat & deſtruit ſuum *Eſſe*, puta eſſe hircum, ut iſta contradictoria ſalvari nequeant in eodem realiter ſimpliciter objecto, beneficio diverſarum formaliter ex natura rei, aut virtualiter formalitatum: cur hoc idem non dicitur de omni univerſaliter *Non eſſe* comparato cum ſuo *Eſſe*? Nempe non tantum aliqua, ſed omnis univerſaliter ex ſuo conceptu negatio; incluſa in omni *Non eſſe*, eſt æquè malignantis naturæ, ac proinde æqualiter ſemper deſtruit illud *Eſſe*, cui præponitur. Quod enim reſpondet Quidam: Rationem diſcriminis hanc eſſe, quòd in quibuſdam contradictoriis, *Non eſſe*, negat rationem abſolutam eſſendi, quæ cum ſit indiviſibilis in plures formalitates, eo ipſo, non inveniuntur ibi plures formalitates, reſpectu quarum verificetur affirmatio & negatio; & ideò talia contradictoria inevitabiliter diſtinguuntur realiter ſimpliciter, ſecus autem accidit in alijs contradictoriis, in quibus, *Non eſſe*, negat tale *Eſſe* reſtrictũ; ubi proinde poteſt reperiri duplex formalitas, ut ſupra unam cadat affirmatio, ſupra aliam negatio; & ideò in talibus *Eſſe* & *Non eſſe*, ſine ulla diſtinctione ſimpliciter reali, poſſunt virtualiter (diceret Scotiſta, formaliter ex natura rei,) diſtingui. Id non ſatisfacit quia ſicut *Eſſe* & *Non eſſe cognoſcibile in ſenſu formali, ſeu virtuali, per eandẽ cognitionem*: ita Eſſe hircum & Non eſſe hircum, Eſſe & Non eſſe patrem, ſunt Eſſe tale & Non eſſe tale reſtrictum, poſſentq; hic in in objecto reperiri duæ virtualiter, vel formaliter ex natura rei formalitates; &

Secundò impugnatur

tamen non licet de una affirmare Eſſe hircum, Eſſe patrem, de altera verò hoc ipſum negare. Ergo idem dicendum de his contradictorijs, *Eſſe cognoſcibile, Non eſſe cognoſcibile in ſenſu formali & virtuali per eandem cognitionem*, & ſimiliter de alijs ſimilibus. Deinde cùm non minoris ſit malignitatis Negatio afficiens Eſſe abſolutè, & afficiens Eſſe tale reſtrictum; ſequitur quod æqualiter deſtruat Eſſe abſolutè, & Eſſe reſtrictum, dum illud afficit, & conſequenter æqualem inducat diſtinctionem tam inter *Eſſe* & *Non eſſe* ſecundùm rationem abſolutam, quàm inter *Eſſe* & *Non eſſe tale reſtrictum*, cum hoc ſolo diſcrimine, quòd negatio afficiens Eſſe reſtrictum, non ſolum inducat diſtinctionem aliquam ſimpliciter realem inter eſſe & non eſſe, ſed etiam inter alias formalitates, quas invenit in obiecto, de quo dicitur eſſe & non eſſe reſtrictum; negatio autem afficiens Eſſe 2dum rationem abſolutam, ſolùm inducat diſtinctionem ſimpliciter realem inter Eſſe & Non eſſe ſecundùm rationem abſolutam.

Tertio reijcitur eadem reſpōſio

§. V. Contra eſt tertiò. Accipiamus duo contradictoria, quæ procedant ſecundùm rationem eſſendi reſtrictam, qualia ſunt *Eſſe capax cognoſci in ſenſu formali*, vel virtuali, & *Non eſſe capax cognoſci in ſenſu formali*, vel virtuali *per eandem cognitionem*, quæ contradictoria diſtinguunt Adverſarij aut formaliter ex natura rei, aut virtualiter abſq; vlla diſtinctione ſimpliciter reali, primumq; verificari putāt de Animali Petri vt eſt à parte rei, ſecūdùm verò de Rationali. In hac ſuppoſitione ſtando, ſic argumentor in Cameſtres.

CA *Animal Petri actu nemine cogitante in ſenſu formali vel virtuali eſt capax cognoſci per præciſivam cognitionem, expreſſivam ſolius animalis.*

Mes

MES *Rationale Petri actu nemine cogitante in ſenſu formali, vel virtuali, non eſt capax cognoſci per præciſivam cognitionem expreſſivam ſoliùs animalis.*

TRES *Ergo Animal Petri actu nemine cogitante non eſt Rationale Petri.* Conſequenter actu nemine cogitante diſtinguitur à Rationali; qualis enim eſt negabilitas unius de alio, talis & diſtinctio illorum inter ſe, cùm diſtingui hoc ab illo, nihil aliud ſit, quàm hoc non eſſe illud. Conſequentia prædicti ſyllogiſmi eſt legitima, & fundatur in *Dici de nullo*, quatenùs conferendo extrema concluſionis cum medio termino in præmiſſis, disiungit illa inter ſe in concluſione, eò quod unum illorum in majori cohæreat cum medio termino, alterum verò non cohæreat cum eodem in minori propoſitione. Eſtq; noſtrum argumentum ſimile huic:

Homo actu nemine cogitante eſt rationalis:

Leo actu nemine cogitante non eſt rationalis:

Ergo homo actu nemine cogitante non eſt Leo.

Major eſt certa: quia cum, ab actu ad potentiam valeat argumentum viâ affirmativâ; ſi Animal Petri cognoſcitur in ſenſu formali vel virtuali per cognitionem præciſivam expreſſivam ſoliûs animalis, ut volunt Adverſarij, etiam erit capax ſic cognoſci, & quidem erit capax actu nemine cogitante, quia capacitas ad aliquid, quæ convenit rei exiſtenti, (uti exiſtit animal Petri,) convenit ei actu nemine cogitante. Minor etiam ſic oſtenditur: Rationale Petri actu nemine cogitante non eſt chimera: ſed Rationale eſſe capax cognoſci in ſenſu formali, vel virtuali, per cognitionem illam præciſivam expreſſivam ſoliûs animalis, eſt chimera; (implicat enim ut cognitio plus exprimat in ſenſu formali, vel virtuali,

quam ſupponitur exprimere; aliàs & eſſet eadem cognitio, ut ſupponitur, & non eſſet eadem, quia eſſet repræſentatio novi objecti diverſi, à quo ſpecificatur omnis cognitio: Ergo Rationale Petri actu nemine cogitante non eſt capax cognoſci in ſenſu formali vel virtuali per cognitionem expreſſivam ſolius animalis. Vera igitur eſt tàm major, quàm minor præfati ſyllogiſmi, inferentis diſtinctionem actualem nemine cogitante objecti, de quo dicuntur duo contradictoria, quamvis procedentia ſecundùm eſſe & non eſſe reſtrictum. Hæc porrò, quæ infertur, diſtinctio actualis à parte rei, eſt aliqua actualis ſimpliciter realis: Tum quia Rationale Petri ſicut actu à parte rei ſtricte & ſimpliciter non eſt chimera; ita pariter actu à parte rei ſimpliciter non erit capax cognoſci in ſenſu formali vel virtuali per cognitionem expreſſivam ſoliùs animalis, (cùm hoc ſit chimera), & conſequenter actu à parte rei ſtricte & ſimpliciter Rationale non erit Animal, quod Animal eſt ipſum illud capax cognoſci in ſenſu formali, vel virtuali per cognitionem expreſſivam ſolius Animalis: Tùm quia ſi B diſtinguitur actu à parte rei ab A, iam B addit actu à parte rei aliquid plùs ſuprà A, ac proinde addit aliquid reale habens propriam eſſentiam & exiſtentiam diſtinctam ab eſſentia & exiſtentia ipſius A, quod eſt addere aliquid realiter ſtricte diſtinctum, niſi velis facere quæſtionem de voce. Nempe ſicut eſſe actu, eſt habere eſſentiam & exiſtentiam; eſſe verò à parte rei, eſt eſſe reale; ac demùm eſſe plus ſupra aliquid, eſt eſſe diſtinctum ab aliquo: ita eſſe actu à parte rei plus ſupra A, eſt eſſe aliquid reale habens propriam eſſentiam & exiſtentiam diſtinctam ab

A Hinc

A. Hinc etiam non ſatisfacit dicere: Diſtinctionem virtualem eſſe realem, actualem actualitate excluſivâ potentialitatis ad verificanda contradictoria, cùm hæc, beneficio talis Diſtinctionis verificentur actu de aliqua entitate, ſed non eſſe actualem à parte rei, actualitate inferente pluritatem, nemine cogitante: ut videre eſt in groſſo, actu æquivalente ſolidis, licet non contineat multitudinem actualem ſolidorum.

Contra enim eſt: quia implicat ut *Non eſſe* ſit, ſeu ut non negat actu à parte rei illud *Eſſe*, quod negat actu à parte rei, ac proinde neceſſe eſt hujuſmodi *Non eſſe* & *Eſſe* diſtingui actu à parte rei & eſſe plura. Sed quando de aliquo objecto verificantur actu à parte rei duo contradictoria, invenitur ibi *Eſſe* ſimulq; *Non eſſe*, quod neget actu à parte rei illud *Eſſe*; (ſiquidem quodlibet quod actu à parte rei verificatur, ſicut actu à parte rei eſt id quod eſt, ita actu à parte rei negat id quod non eſt:). Ergo quando verificantur actu à parte rei de aliquo objecto contradictoria, invenitur etiam in illo objecto actu à parte rei aliqua pluralitas. Quia verò nulla contradictoria verificantur actu à parte rei de groſſo, æquivalente, actu, pluribus ſolidis; ideò paritas illa de groſſo non procedit.

§ VI. Alij ergo cum Patre Paulo RoſmerDiſp. 1. de Deo ar. 5. & 6. dicunt: Prædicata quæ aliàs eſſent contradictoria, ſi dicantur de diſtinctis merè virtualiter, (diceret Scotiſta de diſtinctis formaliter ex natura rei,) deſinere eſſe contradictoria; eo modo quo eſſe album & non eſſe album dicta de diſtinctis realiter ſimpliciter ſubjectis, deſinunt eſſe contradictoria. Ex quo concludunt iſti Authores, beneficio diſtinctionis merè vir- *Altera reſponſio refellitur.*

 tualis

ria & objecta, à quibus proinde dicitur ſpecificari. Cùm ergo diverſa ſit cognitio, quâ apprehendo Animal Petri ab illa, qua apprehendo Rationale ejuſdem; oportet etiam objecta iſtarum apprehenſionum eſſe aliquo modo diverſa, nec attingi idem omnino objectum per utramq; ex his cognitionem, quod eſt præſcindere objectivè. Nec valet recurrere ad diverſa realiter connotata, in ordine ad quæ cognoſcatur idem objectum per diverſas cognitiones. Nam ipſum connotatum hujus v. g. apprehenſionis, *Animal Petri*, puta Senſatio; poteſt rurſus terminare diverſas cognitiones inadæquatas, & præciſivas, poteſtq; ibi rurſus præſcindi ratio actûs vitalis, operationis, accidentis: hæc autem præciſio & diverſitas cognitionum non poteſt rurſus refundi in diverſitatem connotatorum, aliàs daretur proceſſus infinitus in connotatis. Non igitur præciſio & diverſitas cognitionum inadæquatarum provenit à diverſis ejuſdem objecti connotatis. Confirmatur: quia ut arguit P. Maurus qu. 32. Log: ſicut quævis alia potentia, ita multò magis intellectûs, debet eſſe benè conſtitutus circa objectum ſibi proportionatum, quod reſpectu noſtri intellectûs, eſt Quidditas rei materialis. Si autem hanc omninò objectivè ſimplicem, pluribus diverſis, & inadæquatis cognitionibus attingeret intellectus noſter, jam non eſſet bene conſtitutus circa ſibi proportionatum objectum. Immo hoc modo fingeret, attingendo inadæquate id, quod in ſeipſo eſt adæquatè. Non igitur quidditas rei materialis, (quidquid ſit de re ſpirituali, quæ non eſt objectum proportionatum noſtri intellectûs,) eſt omninò ſimplex objectivè.

9. Communiter dicitur, Speciem v. g. Hominem componi per rationem ex genere & differentiâ, puta ex animali & rationáli, tanquam totum quoddam actuale metaphyſicum, ex duplici parte, quarum una ſit materialis & determinabilis, altera formalis & determinativa. Cùm ergò omnis compoſitio, ſit diſtinctorum in ſuo genere, unio, oportet diſtingui ratione noſtrâ & metaphyſicè genus à differentia, & quidem ex parte objecti, & non tantùm ex parte conceptuum formalium, quia alioquin ſequeretur ſpeciem v. g. Hominem componi metaphyſice ex duobus conceptibus formalibus, quod eſt abſurdum.

Ultimò. In omnium ſententia, de Animali & Rationali Petri verificantur hæc prædicata contaadictoria ſecundò intentionalia, quòd Animal Petri diſtinguatur ratione noſtrâ à Rationali, non autem diſtinguatur hoc modo Rationale à Rationali. Ergo etiam poterunt de illis verificari hæc alia, *Cognoſci* & *non Cognoſci.* Nec valet hic recurrere ad diverſos conceptus formales, quibus ſubſtat Animal & Rationale. Quia Tò *Diſtingui* & *Non diſtingui ratione noſtrâ*, non cadit ſupra conceptus formales Animalis & Rationalis, (hi enim potius diſtinguuntur realiter inter ſe,) ſed cadit ſupra ipſum Animal & Rationale objectivè ſumpta, quæ proinde oportet eſſe aliquòmodo objectivè diſtincta.

§ I. *Reſpondetur.* Ad evidentiam hujus Quæſtionis præmittenda eſt imprimis notio Vnitatis, Multitudinis, Identitatis, Diſtinctionis. Unitas ex 5. met. ſupra ens ſuperaddit ex modo noſtro concipiendi negationem diviſionis in pluralia talia, quale eſt ipſum, eſtq; ipſum ens pro- *Quid Vnitas?* *Multitudo*

ut

Identitas ut eſt indiviſum in ſe. Multitudo, ſunt ipſæ unitates in recto acceptæ, quatenùs hæc non eſt illa. *Diſtinctio* Identitas eſt vera affirmabilitas prædicatorum de ſeipſis. Diſtinctio è contra eſt verà negabilitas uniùs de altero; ita tamen ut in Diſtinctione unum extremum concipiatur in recto, alterum in obliquo; per quod differt à Multitudine, in qua omnia extrema concipiuntur in recto. Quæ definitiones, utpote Terminorum univerſaliſſimorum & per ſe notorum, traduntur juxta regulam explicatam diſp. I. q. I. Non male etiam definitur Identitas à R. R. hoc modo: *Eſt ſumma communicatiò prædicatorum inter ſe, per quam unum tantùdem communicatur alteri ac ſibi ipſi.* Diſtinctio verò erit oppoſitus diſſenſus prædicatorum inter ſe. His ita prænotatis, in hac quæſtione ſtatuendum eſt imprimis pro fundamento totius doctrinæ de Diſtinctionibus. Nulla prædicata contradictoria poſſe verificari de aliquibus, ſine aliqua ipſorum diſtinctione ſimpliciter reali, ſaltem in tertio prædicato. 2dò ex hoc principio reijcienda eſt diſtinctio formalis ex natura rei Scotiſtica, nec non Virtualis diſtinctio in ordine ad verificanda contradictoria de eadem realiter ſimpliciter entitate, excludente realem etiam in tertio diſtinctionem. 3tiò agendum eſt ex hac occaſione obiter aliquid de Diſtinctione reali in tertio, an detur alicubi, & an ſufficiat ad verificanda à parte rei aliqua contradictoria, de extremis inter quæ datur. 4tò ex eodem principio negandæ erunt Præciſiones objectivæ ibi, ubi non intercedit Diſtinctio realis in tertio, & declarandæ Præciſiones formales ex parte actûs. Tandem explicanda erit Diſtinctio rationis, & ſolvendæ

objectio-

objectiones contra determinatam doctrinam jam propoſitæ. Ad vitandam verò confuſionem hæc omnia per plura puncta expendemus.

PUNCTUM I.

Statuitur, nulla poſſe contradictoria verificari de uno eodemq; objecto, nullam admittente Diſtinctionem ſimpliciter realem.

§ II. Eſt ergo primum principium lumine naturæ notum; *Impoſſibile eſt idem eſſe & non eſſe*, ſeu quod idem eſt, non poſſe duo prædicata contradictoria, (hæc enim ſemper ſunt eſſe & non eſſe ejuſdem formæ), verificari de eodem objecto. Hoc verò principium ſine dubio intelligendum eſt de eſſe & non eſſe, comparatione ejuſdem realiter termini; nemo enim dubitat Pigmæum eſſe magnum reſpectu muſcæ, & non magnum reſpectu Enceladi. Cæterum hoc principium non eſſe ita limitandum, ut prædicata contradictoria, (ſemper hic accipio comparatione ejuſdem termini,) poſſint verè dici de eodem realiter ſubjecto, nullam admittente Diſtinctionem ſimpliciter realem, dummodò ſit diſtinctum formaliter ex natura rei Scotiſticè, aut virtualiter ſine Diſtinctione reali in tertio, ſic oſtenditur. Omnia prædicata contradictoria, cùm ſemper ſint ex ſuo conceptu *Eſſe* & *Non eſſe* ejuſdem formæ, ſecundum ſe conſiderata, neceſſariò ſibi opponuntur oppoſitione maxima, diſtantq; à ſe, & actu, mutuò ſibi repugnant, ſeq; excludunt ſeipſis à parte rei ſaltem mediatè. Ergo neceſſariò in ſuo conceptu includunt aliquam Diſtinctionem ſimpliciter realem ſaltem mediatam, & non ſolùm realem formalem Scotiſticam, aut virtualem conjunctam

Declaratur hoc principiũ & declaratio probatur.

cum

cùm omnimoda identitate ſimpliciter reali, tàm immediata, quàm mediata: nihil enim ſibi ipſi opponitur oppoſitione maximâ, nihilq; à ſeipſo diſtat entitativè, ſibiq; actu repugnat, ac ſe excludit nemine cogitante. Cenſequens igitur eſt ut in quodcunque objectum, per enuntiationem veram, invehuntur aliqua contradictoria prædicata, neceſſariò ſecum in illud objectum invehant aliquam, quam in ſuo conceptu includunt Diſtinctionem realem, ſaltem mediatam, ſeu in tertio prædicato, & conſequenter in illo objecto deſtruant diſtinctionem formalem ex natura rei, & virtualem ſupradictam, ut proinde verum ſit non poſſe verificari duo contradictoria de eodem omninò realiter ſimpliciter ſubjecto, reſpectu diverſarum nonniſi formaliter ex natura rei, aut virtualiter modo dicto, ejuſdem ſubjecti formalitatum, quod erat probandum.

Prima reſponſio reijcitur primò

§ III. Nec ſatisfaciunt quidam reſpondendo: aliqua prædicata contradictoria non ſe negare & deſtruere realiter rigoroſè, ſed tantum virtualiter à parte rei, vel formaliter ex natura rei, poſſeq; proinde à parte rei verificari de eadem omninò realiter ſimpliciter entitate, beneficio ſoliùs virtualis aut formalis ex natura rei alietatis. Contra enim eſt primò, quia omne univerſaliter loquendo *Eſſe*, nulli magis opponitur, quàm ſuo *Non eſſe*; & ideo inter nullum *Eſſe*, ejuſdemq; *Non eſſe*, dari poteſt medium. Si ergo aliquod *Non eſſe* v. g. *Non eſſe cognoſcibile in ſenſu formali*, (ut iſti dicunt,) non negat realiter ſimpliciter ſuum *Eſſe*, puta *Eſſe cognoſcibile in ſenſu formali per eandem cognitionem*, ſed tantùm negat cum illo identitatem ſui formalem ex natura rei, vel purè virtualem; verum utiq; erit,

idem

idem aliquando ſibiipſi opponi oppoſitione maximâ, quod ſanè eſt inconveniens.

§ IV. Contra ſecundò, quia ſi aliquod *Non eſſe*, v.g. Non eſſe hircum, ita realiter ſimpliciter negat & deſtruit ſuum *Eſſe*, puta eſſe hircum, ut iſta contradictoria ſalvari nequeant in eodem realiter ſimpliciter objecto, beneficio diverſarum formaliter ex natura rei, aut virtualiter formalitatum: cur hoc idem non dicitur de omni univerſaliter *Non eſſe* comparato cum ſuo *Eſſe*? Nempe non tantùm aliqua, ſed omnis univerſaliter ex ſuo conceptu negatio; incluſa in omni *Non eſſe*, eſt æquè malignantis naturæ, ac proinde æqualiter ſemper deſtruit illud *Eſſe*, cui præponitur. Quod enim reſpondet Quidam: Rationem diſcriminis hanc eſſe, quòd in quibuſdam contradictoriis, *Non eſſe*, negat rationem abſolutam eſſendi, quæ cùm ſit indiviſibilis in plures formalitates, eo ipſo, non invenientur ibi plures formalitates, reſpectu quarum verificetur affirmatio & negatio; & ideò talia contradictoria inevitabiliter diſtinguuntur realiter ſimpliciter, ſecus autem accidit in alijs contradictoriis, in quibus, *Non eſſe*, negat tale *Eſſe* reſtrictũ; ubi proinde poteſt reperiri duplex formalitas, ut ſupra unam cadat affirmatio, ſupra aliam negatio; & ideò in talibus *Eſſe* & *Non eſſe*, ſine ulla diſtinctione ſimpliciter reali, poſſunt virtualiter (diceret Scotiſta, formaliter ex natura rei,) diſtingui. Id non ſatisfacit quia ſicut *Eſſe* & *Non eſſe cognoſcibile in ſenſu formali, ſeu virtuali, per eandẽ cognitionem*: ita Eſſe hircum & Non eſſe hircum, Eſſe & Non eſſe patrem, ſunt Eſſe tale & Non eſſe tale reſtrictum, poſſentq; hic in in objecto reperiri duæ virtualiter, vel formaliter ex natura rei formalitates; &

Secundò impugnatur

 tamen

tamen non licet de una affirmare Eſſe hircum, Eſſe patrem, de altera verò hoc ipſum negare. Ergo idem dicendum de his contradictorijs, *Eſſe cognoſcibile, Non eſſe cognoſcibile in ſenſu formali & virtuali per eandem cognitionem*, & ſimiliter de alijs ſimilibus. Deinde cùm non minoris ſit malignitatis Negatio afficiens Eſſe abſolutè, & afficiens Eſſe tale reſtrictum; ſequitur quòd æqualiter deſtruat Eſſe abſolutè, & Eſſe reſtrictum, dum illud afficit, & conſequenter æqualem inducat diſtinctionem tam inter *Eſſe* & *Non eſſe* ſecundùm rationem abſolutam, quàm inter *Eſſe* & *Non eſſe tale reſtrictum*, cùm hoc ſolo diſcrimine, quòd negatio afficiens Eſſe reſtrictum, non ſolum inducat diſtinctionem aliquam ſimpliciter realem inter eſſe & non eſſe, ſed etiam inter alias formalitates, quas invenit in objecto, de quo dicitur eſſe & non eſſe reſtrictum; negatio autem afficiens Eſſe 2dum rationem abſolutam, ſolùm inducat diſtinctionem ſimpliciter realem inter Eſſe & Non eſſe ſecundùm rationem abſolutam.

§. V. Contra eſt tertiò. Accipiamus duo contradictoria, quæ procedant ſecundùm rationem eſſendi reſtrictam, qualia ſunt *Eſſe capax cognoſci in ſenſu formali*, vel virtuali, & *Non eſſe capax cognoſci in ſenſu formali*, vel virtuali *per eandem cognitionem*, quæ contradictoria diſtinguunt Adverſarij aut formaliter ex natura rei, aut virtualiter abſq; vlla diſtinctione ſimpliciter reali, primumq; verificari putāt de Animali Petri vt eſt à parte rei, ſecūdùm verò de Rationali. In hac ſuppoſitione ſtando, ſic argumentor in Cameſtres.

Tertio reijcitur eadem reſponſio

CA *Animal Petri actu nemine cogitante in ſenſu formali vel virtuali, eſt capax cognoſci per præciſivam cognitionem, expreſſivam ſolius animalis.*

MIS

MES *Rationale Petri actu nemine cogitante in ſenſu formali, vel virtuali, non eſt capax cognoſci per præciſivam cognitionem expreſſivam ſoliùs animalis.*

TRES. *Ergo Animal Petri actu nemine cogitante non eſt Rationale Petri.* Conſequenter actu nemine cogitante diſtinguitur à Rationali; qualis enim eſt negabilitas unius de alio, talis & diſtinctio illorum inter ſe, cùm diſtingui hoc ab illo, nihil aliud ſit, quàm hoc non eſſe illud. Conſequentia prædicti ſyllogiſmi eſt legitima, & fundatur in *Dici de nullo,* quatenùs conferendo extrema concluſionis cum medio termino in præmiſſis, diſiungit illa inter ſe in concluſione, eò quod unum illorum in majori cohæreat cum medio termino, alterum verò non cohæreat cum eodem in minori propoſitione. Eſtq; noſtrum argumentum ſimile huic:

Homo actu nemine cogitante eſt rationalis:

Leo actu nemine cogitante non eſt rationalis:

Ergo homo actu nemine cogitante non eſt Leo.

Major eſt certa: quia cum, ab actu ad potentiam valeat argumentum viâ affirmativâ; ſi Animal Petri cognoſcitur in ſenſu formali vel virtuali per cognitionem præciſivam expreſſivam ſoliûs animalis, ut volunt Adverſarij, etiam erit capax ſic cognoſci, & quidem erit capax actu nemine cogitante, quia capacitas ad aliquid, quæ convenit rei exiſtenti, (uti exiſtit animal Petri,) convenit ei actu nemine cogitante. Minor etiam ſic oſtenditur: Rationale Petri actu nemine cogitante non eſt chimera: ſed Rationale eſſe capax cognoſci in ſenſu formali, vel virtuali, per cognitionem illam præciſivam expreſſivam ſoliûs animalis, eſt chimera; (implicat enim ut cognitio plus exprimat in ſenſu formali, vel virtuali,

A. Hinc etiam non ſatisfacit dicere: Diſtinctionem virtualem eſſe realem, actualem, actualitate excluſivà potentialitatis ad verificanda contradictoria, cùm hæc, beneficio talis Diſtinctionis verificentur actu de aliqua entitate, ſed non eſſe actualem à parte rei, actualitate inferente pluritatem, nemine cogitante: ut videre eſt in groſſo, actu æquivalente ſolidis, licet non contineat multitudinem actualem ſolidorum.

Contra enim eſt: quia implicat ut *Non eſſe* ſit, ſeu ut non negat actu à parte rei illud *Eſſe*; quod negat actu à parte rei, ac proinde neceſſe eſt hujuſmodi *Non eſſe* & *Eſſe* diſtingui actu à parte rei & eſſe plura. Sed quando de aliquo objecto verificantur actu à parte rei duo contradictoria, invenitur ibi *Eſſe* ſimulq; *Non eſſe*, quod neget actu à parte rei illud *Eſſe*; (ſiquidem quodlibet quod actu à parte rei verificatur, ſicut actu à parte rei eſt id quod eſt, ita actu à parte rei negat id quod non eſt:). Ergo quando verificantur actu à parte rei de aliquo objecto contradictoria, invenitur etiam in illo objecto actu à parte rei aliqua pluralitas. Quia verò nulla contradictoria verificantur actu à parte rei de groſſo, æquivalente, actu, pluribus ſolidis; ideò paritas illa de groſſo non procedit.

§ VI. Alij ergo cum Patre Paulo RoſmerDiſp. 1. de DEO ar. 5. & 6. dicunt: Prædicata quæ aliàs eſſent contradictoria, ſi dicantur de diſtinctis merè virtualiter, (diceret Scotiſta de diſtinctis formaliter ex natura rei,) deſinere eſſe contradictoria; eo modo quo eſſe album & non eſſe album dicta de diſtinctis realiter ſimpliciter ſubjectis, deſinunt eſſe contradictoria. Ex quo concludunt iſti Authores, beneficio diſtinctionis merè virtualis *Altera reſponſio refellitur.*

tualis (poſſet etiam dici, formalis ex natura rei) non dici duo contradictoria de eodem.

Sed hæc etiam reſponſio non ſubſiſtit: ſi quis enim diceret Hircum ſecundùm unam formalitatem eſſe hircum, ſecundùm autem aliam, ſeu virtualiter ſeu formaliter ex natura rei diſtinctam, non eſſe hircum, ſed cervum, utiq; convinceretur de eodem dicere duo prædicata contradictoria. Ergo, apparet quòd in oppoſitione prædicatorum contradictoriorum non attenditur ad virtualem, vel formalem ex natura rei identitatem ſubjecti. Et ratio eſt, quia prædicata contradictoria ſunt duo termini præciſè, quorum unus totum idemq; prædicatum negat, quod alius affirmat, ſiue de eodem omninò ſubjecto, ſive de diſtinctis etiam realiter ſubjectis. Immo de his maximè & veriſſimè dicuntur duo contradictoria prædicata. Quod enim in affirmatione & negatione ejuſdem omninò prædicati inveniantur diverſa ſubiecta, hoc non tollit contradictionem prædicatorum ſecundùm ſe & in abſtracto ſumptorum, quam nos hactenus in argumento ſumebamus, ſed ſolum tollere poteſt contradictionem propoſitionum, quæ ultra contradictionem prædicatorum, requirit idētitatem ſubiecti, & ideo non debet confundi cum prædicatorum contradictione. Vide quæ dixi diſp. 2. de Deo qu. 2. fuſè de hoc puncto.

§ VII. Hæc quæ hactenus dicta ſunt, confirmari poſſunt ex eo; quia univerſalis totius humani diſcurſûs regula, & fundamentum omnis legitimæ conſequentiæ ſunt illa principia: *Quæ ſunt eadē uni tertio ſunt eadē inter ſe*, & contra *Quæ non ſunt eadem &c. Dici de omni. Dici de nullo*, ex quibus principia affirmativa ita explicat Philoſophus 2. Top.

Declaratur amplius univer-

Top. *Quæ de uno eorum, quæ eadem ſunt, dicuntur, & de altero dici debent omnia.* Patet autem hæc fundamenta ſtructuræ ſyllogiſticæ, multùm labefactari in ſententia Adverſariorum, apud quos videlicet Animal & Rationale Petri ſunt idem actu à parte rei inter ſe, & tamen non ſunt actu à parte rei idem cum hoc tertio prædicato, *Eſſe prius & ſuperius rationali*; aut cum hoc, *Eſſe capax cognoſci in ſenſu formali, vel virtuali per ordinem ad ſenſationes*; ſiquidem per illos, hoc tertium prædicatum actu à parte rei convenit Animali, non convenit autem actu à parte rei Rationali. Quare dum ipſi limitant hæc principia univerſalia, dicuntq; non ſemper valere in illis terminis, qui diſtinguuntur formaliter ex natura rei, aut mere virtualiter, ideòq; hunc ſyllogiſmum non concludere; *Animal Petri eſt capax cognoſci in ſenſu formali per ordinem ad ſenſationes: Rationale Petri eſt Animal: Ergo Rationale eſt capax cognoſci in ſenſu formali per ordinem ad ſenſationes:* jam per hoc ipſum dant magnam licentiam protervis, cuilibet ſyllogiſmo negandi conſequentiam, admiſſa inter terminos ſyllogiſmi, vel etiam ad tuendum poſitum, diſtinctione formali ex natura rei, vel virtuali conſiſtente in mera æquiualentia ad plura, & ſic etiam negandi conſequentiam huic ſyllogiſmo: *Animal eſt vivens, Homo eſt animal, Ergo homo eſt vivens.* Et ſicut ijdem Adverſarij dicunt, prædicta principia in quibuſdam tantùm non in omnibus prædicatis valere: ita poſſet etiam quis dicere, eadem principia valere in prædicatis tantùm materialibus, aut ſubſtantialibus, non in ſpiritualibus, vel accidentalibus. At nos univerſaliſſimè hæc principia accipimus, non ſolum in creatis, ſed etiam in Diuinis, tan-

ſalitas præfati principij

tumq; dicimus non valere, quando procedunt de terminis diſtinctis realiter in tertio, ſeu de identificatis realiter inadæquate extenſivè, juxta mox dicenda; quia de terminis realiter inadæquate identificatis. Nec etiam in creatis hæc principia procedunt, ut eſt in confeſſo apud omnes. Quæ conſideratio adeò movit Adamum in 1. diſt. 1. qu. 12. ar. 3. dub. 2. ut affirmaverit, quòd admittere contradictoria in divinis inter ea, quæ nullo modo realiter diſtinguuntur, ſit *imponere fidei inconveniens, & exponere fidem deriſioni infidelium*.

Extenditur idem principiū ad contradictoria extrinseca & ſecūdo intētionalia.

§ VIII. Maneat ergo univerſaliter, duo contradictoria prædicata non poſſe convenire terminis nullo modo realiter ſimpliciter diſtinctis. Quod quidem Principium non ſolùm procedit de prædicatis contradictoriis intrinſecis & phyſicis, qualia ſunt v. g. *Uniri Non uniri*; nec tantùm de contradictoriis extrinſecis phyſicis, qualia ſunt *Eſſe dextrum Non Eſſe dextrum*; verum etiam extendi debet ad contradictoria extrinſeca ſecundointentionalia, qualia ſunt *Cognoſci* & *Non cognoſci*. Contrarium opinantur ij, qui tenent Præciſiones objectivas: è quibus aliqui pro diſparitate inter hæc & illa contradictoria aſſignant ſubtilitatem noſtri intellectûs, potentis in eodem objecto attingere unam formalitatem objectivam, non attingendo aliam; quod præſtare nequit actio agentis naturalis. Comptonus verò diſp. 24. Log. ſect. 8. hoc etiam affert diſcrimen, quia ex contradictoriis (inquit) phyſicis & intrinſecis verificatis de eodem objecto, ſequitur idem eſſe multiplex à parte rei, quod repugnat: at verò ex ſecundointentionalibus ſolùm ſequitur, idem eſſe multiplex in noſtro intellectu, quòd nullum eſt inconveniens. Sed

Sed profectò nullum ſufficiens diſcrimen iſti afferunt. Nam imprimis tota oppoſitio prædicatorum contradictoriorum formaliter in hoc conſiſtit præciſè, quòd in illis ſignificetur aliquod eſſe, ſimulq; negatio ejuſdem eſſe; ratio autem intrinſeci vel extrinſeci, phyſici vel intentionalis, materialiter ſe habet, & per accidens, ſicut etiam ratio ſpiritualis vel materialis, neceſſarij vel contingentis. Ergo non magis, ſe tollunt iſti termini ſecundùm ſe conſiderati, *Produci & Non produci*, quàm iſti *Cognoſci* & *Non cognoſci*; ideoq; non minus in his, quam in illis contradictorijs, includitur aliqua diſtinctio realis, introducenda in ſubjectum de quo verificabuntur talia prædicata, ne dicatur idem, ſeipſum tollere, ſibiq; repugnare.

§ IX. Deinde ex contradictorijs extrinſecis & ſecundointentionalibus legitimè inferuntur intrinſeca & phyſica. Si enim verum eſt, quod Animal Petri cognoſcitur per cognitionem præciſivam relatè ad ſenſationes & per eandem non cognoſcitur Rationale. Ergo illa cognitio poteſt repræſentare in ſenſu formali Animal Petri, & Animal Petri poteſt per ipſam repræſentari, (ab actu enim ad potentiam bona eſt illatio per affirmationem:) è contra verò eadem cognitio non poteſt repræſentare in ſenſu formali Rationale Petri, (quia nequit præſentare illud quod ſupponitur non repreſentaſſe) & conſequenter Rationale Petri non poteſt præſentari in ſenſu formali per illam cognitionem. Dicuntur ergo duo prædicata contradictoria intrinſeca & phyſica, tam de illa cognitione præciſiva repreſentante ſolum Animal Petri, quàm de Animali & Rationali Petri, ſi dicentur con-

Ex cõtradictorijs extrinſecis & ſecũdo-intentionalibus intrinſeca & phyſica ſequuntur

Digitized by Google

tradictoria extrinſeca & ſecundointentionalia de Animali & Rationali Petri. Nempe poſſe & non poſſe repræſentare aliquid, ſunt prædicata intrinſeca & phyſica cognitionis: & ſimiliter poſſe & non poſſe repræſentari in ſenſu formali, ſunt prædicata intrinſeca & phyſica objecti; ſiquidem, per Adverſarios, cadunt ſupra ipſum Animal & Rationale ut ſunt à parte rei, ſuntq; cum ipſis identificata realiter, ideoq; ipſis intrinſeca.

§ X. Hinc refellitur diſparitas illa Comptoni. Cùm enim ex contradictorijs ſecundointentionalibus inferantur realia: ſicut ex his, ita & ex illis ſequitur, idem objectum, de quo verificantur, eſſe multiplex, non ſolum in intellectu, ſed etiam à parte rei. Deinde cum per Adverſarios, ex his contradictorijs *Cognoſci Non cognoſci*, ſequatur objectum eſſe multiplex in intellectu non ſolùm extrinſecè & ex parte actûs cognoſcentis, ſed intrinſecè & ex parte objecti; cumq; objectum quod eſt in intellectu, conſideratum objectivè & intrinſecè, ſit omninò illud quod eſt à parte rei; patet ex illis contradictoriis *Cognoſci Non cognoſci*, ſequi idem objectum eſſe multiplex à parte rei, ſi ſequitur eſſe in intellectu multiplex ex parte objecti. Nec plus valet alia diſparitas deſumpta ex ſubtilitate noſtri intellectus: tum quia ſubtilitas noſtri intellectus non poteſt producere cognitionem implicatoriam, qualis eſt cognitio expreſſiva intrinſecè animalis Petri, & intrinſecè non expreſſiva rationalis, ut dictum eſt, quam tamen cognitionem attribuunt Adverſarij ſubtilitati intellectûs: tum quia potius ſpectat ab ſubtilitatem intellectus, multa ſimul cognoſcere per eandem cognitionem, ut apparet in intellectu Angelico ſubtiliori, & in Divi

Divino ſubtiliſſimo omnia unico actu comprehendente: quantò ergo minus pertinet ad ſubtilitatem intellectûs, non cognoſcere ſimul per eandem cognitionem ea, quæ ſunt ſecum idem realiter. Pluribus hoc principium à nobis confirmatum vide Diſp. 2. de Deo qu. 4.

PUNCTUM II.

Fertur judicium de Diſtinctione formali ex natura rei, & de virtuali.

§ XI. Ex hoc principio jam ſtabilito, reiicitur imprimis Diſtinctio formalis ex natura rei Scotiſtica. Verificat enim de objecto nullo modo realiter ſimpliciter diſtincto, duo prædicata contradictoria realia & intrinſeca, & quidem actu; dicendo, Animal Petri actu, nemine cogitante, & intrinſecè eſſe prius, ac magis commune, quàm rationale; rationale autem actu, nemine cogitante, & intrinſecè, non eſſe prius, nec commune, quàm ſit ipſum rationale: & ſimiliter animal Petri eſſe actu à parte rei, & intrinſecè diſtinctum formaliter ex natura rei à rationali, non autem rationale ab eodem rationali. *Implicat Diſtinctio formalis ex natura rei.*

§ XII. Reiicitur rurſus Diſtinctio virtualis in ordine ad verificanda duo contradictoria de eodem realiter ſimpliciter objecto, abſque ulla diſtinctione ſimpliciter reali ipſius ſaltem mediata, & in tertio. Hoc enim repugnare probavim⁹ toto puncto ſuperiori: ubi etiam conſtitit præſertim § 5. hujuſmodi diſtinctionem virtualem reipsà eſſe actualem, ex qua actuali infertur Diſtinctio ſimpliciter realis. Deinde ipſa verificatio contradictoriorum de duabus formalitatibus ſecum realiter identificatis, eſt diſcrepantia ipſarum, realis in tertio prædicato. Si enim de Animali *Et purè virtualis in ordine ad aliqua contradictoria.*

mali v.g. Petri ut eſt à parte rei, vere affirmatur, quod ſit cognoſcibile non ſolùm in ſenſu reali, ſed etiam virtuali, per cognitionem expreſſivam ſui objecti per ordinem ad ſenſationes; idemq; prædicatum ſi vere negatur de Rationali Petri, ut eſt etiam à parte rei; jam Animal & Rationale ſecum realiter identificata, diſcrepabunt realiter in hoc tertio prædicato, *Eſſe cognoſcibile in ſenſu etiam virtuali per ordinem ad ſenſationes*, quia hoc prædicatum identificabitur realiter cum Animali, non autem cum Rationali, de quo ſcilicet negatur vere, ut eſt à parte rei. Et per hoc reiicitur etiam ſententia P. Roſmer, quatenus diſtinguentis ipſam virtualem diſtinctionem in ordine ad verificanda contradictoria intrinſeca, (quam hic Author agnoſcit ſolùm inter quædam DEI Attributa,) à Diſtinctione reali in tertio, quam ponit idem in myſterio Divinæ Trinitatis, gratis ad Dinſtinctionem virtualem requirendo identitatem adæquatam extremorum, quod fieri non poſſe jam modo probatum eſt.

§ XIII. Cæterum ad vitandas æquivocationes, diſtinguenda eſt Diſtinctio virtualis ut ſic, in duo membra. Cujus diviſionis ratio eſt, quia Diſtinctio virtualis, quæ ponitur in myſterio S. S. Trinitatis, eſt longe diverſa ab ea, quæ ponitur in creatis. Alioquin ſequeretur imprimis, omnem naturam creatam, perinde ac Divinam, eſſe realiter immultiplicabilem in pluribus ſuppoſitis: ideò enim Natura Divina eſt realiter ſimplex & immultiplicabilis, quia diſtinguitur virtualiter intrinſecè à pluralitate perſonarum; ſi ergo ſimilis diſtinctio conveniret etiam naturæ humanæ reſpectu ſuorum individuorum, hæc pariter eſſet realiter immultiplicabilis, ac proinde non

Duplex diſtinctio Virtualis

de non

de non eſſet univerſalis. Rurſus ſequeretur nullam quantitatem eſſe majorem altera: ideo enim in Divinis Pater non eſt ſapientior, nec major Filio, quia non differt à Filio in ſapientia, & magnitudine, ſed in talitate quadam, ſeu in proprietate relativa ſapientiæ, & magnitudinis, virtualiter intrinſecè diſtincta à ſapientia; & magnitudine: cùm ergo, (admiſſa ſimili diſtinctione in creatis) etiam quantitas montis, & quantitas papaveris, pariter non different in magnitudine ſecundùm ſe, ſed in talitate magnitudinis, diſtincta virtualiter intrinſecè à magnitudine; utiq; ſequeretur quantitatem montis non eſſe majorem quantitate papaveris.

§ XIV. Ponenda ergo eſt duplex Diſtinctio virtualis. Harum altera vulgo dicitur virtualis intrinſeca, ratione cujus una ſimplex entitas ſpectata ſecundùm ſua intrinſeca, & non relatè ad extrinſeca, rebus realiter diſtinctis æquivalet in ordine ad verificanda de tali ſimplici entitate contradictoria. Altera verò dicitur extrinſeca, & nihil aliud eſt, quam unius ſimplicis entitatis æquivalentia pluribus rebus diſtinctis, in ordine ad plures realiter effectus præſtandos, ratione cujus æquivalentiæ, poteſt una ſimplex realiter entitas, per noſtras extrinſecas ipſi cognitiones, nunc ad hunc, nunc ad illum ſuum ſibi extrinſecum effectum referri, & ſic diſtingui extrinſecè ratione noſtrâ, poteſtq; ratione diverſarum realiter, quibus ſubſtat cognitionum, recipere oppoſita contradictoriè prædicata, ut infra explicabitur. Quare hæc ſecunda Diſtinctio dicitur Virtualis ratione æquivalentiæ, dicitur verò Extrinſeca, quia in ratione diſtinctionis completur per extrinſecas objecto noſtras cognitiones, quæ

Quæ ſit intrinſeca & quæ extrinſeca?

idem

idem objectum referunt ad diverſa … ipſi connotata.

§ XV. Porrò hanc ſecundam Diſt… virtualem dari in creatis, nullum eſt … Patet enim eandem entitatem Petri æq… plantæ, bruto &c. in ordine ad efficie… ſeipſam vegetationes, ſenſationes &c. q… untur à planta, bruto &c, unde præbet … mentum noſtro intellectui, ut eandem … Petri nunc concipiat per ordinem ad v… nes, nunc per ordinem ad ſenſationes … lam diſtinguat extrinſecè per rationem … ori autem datur eadem diſtinctio inter … perfectiones; cùm Divinitas æquivale… ctis realiter perfectionibus creatis, per … gnoſcuntur à nobis; & conſequenter … nem ad quas diſtinguuntur inter ſe, ra… ſtrà, & extrinſecè, Divinæ perfection… terum Diſtinctio virtualis intrinſeca nu… poteſt, niſi inter Divinas perfectiones a… comparatas cùm prædicatis relativis … ut docent pleriq; graves R. R. Theol… rum etiam aliqui eandem admittunt inte… cata divina neceſſaria, comparata cum … ad extra, ſimpliciter non neceſſariis, qu… ſcientia media, ſcientia viſionis, & Dec… ra. Et ita tenet P. Anton. Perez & P. Eſpar… Verùm ibidem ſimul cum diſtinctione iſta vi… ali intrinſeca, dari etiam diſtinctionem real… in tertio prædicato, eandemq; ſufficere ad v… ficanda, de prædicatis Divinis, inter quæ in… cedit, contradictoria, docent iidem Autho… de qua breviter ſit.

PUN…

PUNCTUM III.

De Diſtinctione reali in tertio.

§ XVI. Hanc realem in tertio Diſtinctionem, ſeu mediatam, conjunctam cum ſumma intenſivè identitate reali immediata, dari inter naturam divinam ut eſt à parte rei, ac inter divinas perſonalitates, eſſeq; diſtinctionem realem purè extenſivè inadæquatam, & merito vocari poſſe virtualem intrinſecam, atq; ſufficere ad prædicata 2dùm ſe contradictoria phyſica, quæ ſine contradictione propoſitionum verificentur de natura divina & perſonalitatibus, ex profeſſo multis oſtendimus. Imprimis, diſp. 2. de DEO tota qu. 5. & iterum in ſelect. qq. ad 1m. pm. tota qu. 1. quò Lectorem Benevolum invitamus. Nec enim hic extra ſuam ſphæram iſta ſunt repetenda, quamvis ea hic quoq; in prima hujus libri editione, obiter à nobis prælibata fuerit, ad oſtendendam principii metaphyſici univerſalitatem. Sufficiat interim hic innuere, quod hanc realem in tertio diſtinctionem inter Deitatem & perſonalitates clarè doceat Antiquus Ockam lib. 1. ſent. diſt. 2. qu. 1. Lit. D. & ſeqq. & Adamus in 1. diſt. 1. qu. 12. ar. 3. dub. 2. § *Secundo dico:* In terminis vero ex R. R. id docuit in Hiſpania P. Quiros tra. 2. de DEO diſp. 15. à ſect. 14. In Collegio Romano P. Anton. Perez diſp. 1. de Trin. cap. 2. num. 28. P. Eſparza qu. 4. de DEO art. 2. Card. Sfortia Pallavicin⁹ lib. 5. de Incarn. cap. 12. num. 196. In Auſtria P. Roſmer diſp. 1. de DEO art. 4. pag. 26. & 27. In Bavaria P. Haunoldus lib. 1. de DEO tr. 1. cap. 1. Contr. 4. § 1 Et lib. 1. tr. 2. cap. 1. contr. 2. § 2. Iam verò inter prædictas divinas formalitates, hanc *Vbi detur hæc diſtinctio*

diſtin-

diſtinctionem tenent & appellant diſtinctionem realem inadæquatam expreſsè Suarez lib. 4. de Trin. cap. 3. n. 5. Vaſqu. in 1. par. diſp. 122. cap. 2. Arrubal qu. 28. cap. 3. Ioan. Præpoſitus qu. 28. art. 2. Fran. Amicus diſp. 19. ſect. 4. n. 89. Franc. de Lugo lib. 2. diſp. 8. cap. 3. Martinon diſp. 25. de Trin. ſect. 7. n. 74. Conink diſp. 4. de Trin. dub. 9. ſect 1. n. 28. Deniq; Pennaloſa de Chriſti divin. diſp. 2. cap. 5. dicit: *Secundum omnes Catholicos Pater cum natura divina non adæquatè identificatur, hæc enim ad plura, ſe, quàm Pater extendit.* Et Bellarmin⁹ lib. 2. de Chriſto cap. 18. dicit: *Eſſentia & Paternitas non ſunt idem adæquate, quia Eſſentia ad plura, ſe extendit.* Vide ſi placet in illa qu. 1. ex ſelectis ad 1m p. pag. 17. ſimilia verba, aliorum Authorum modo relatorum, qui hac diſtinctione inadæquata ſolvunt fallacias, contra Trinitatem, Arianorum, procedentium à termino Eſſentiæ Divinæ non diſtributo, ad eundem diſtributum: cùm tamen omne diſtributum à ſeipſo non diſtributo diſtingvitur realiter inadæquatè.

PUNCTUM IV.

De Præciſionibus objectivis.

§ XVII. Interim ubi rejecta eſt diſtinctio virtualis intrinſeca, ibidem reijciuntur etiam præciſiones objectivæ, ex eodem principio. Verificant enim de eodem realiter ſimpliciter objecto ſine ulla diſtinctione reali ipſius, duo prædicata contradictoria non ſolum extrinſeca, & ſecundò intentionalia *Cognoſci & Non cognoſci*, ſed etiam intrinſeca, & realia, ſcilicet *Eſſe & Non eſſe cognoſcibile per eandem numero cognitionem*, ut ſupra expoſi-

expoſitum eſt. Unde videntur conſequenter non loqui, aliqui, dum negant diſtinctionem virtualem intrinſecam ſupra à nobis refutatam, & tamen ibi admittunt præciſiones objectivas; niſi faciant quæſtionem de voce. Atque hæc ſententia negans præciſiones objectivas, eſt valde communis modò in præcipuis Italiæ, Hiſpaniæ, Germaniæ univerſitatibus, ſaltem quatenùs procedit univerſaliter de prædicatis creatis, immo etiam de pluribus Divinis.

§ XVIII. *Reſpondebat* Quidam meus Comprofeſſor: Non poſſe quidem de animali & rationali, ut ſunt à parte rei, verificari duo contradictoria *Cognoſci* & *Non cognoſci*; benè tamen poſſe de illis verificari, ut ſunt in ſtatu intentionali; eo modo quo charta dùm eſt in uno loco, non poteſt dividi & non dividi, benè tamen, dùm eſt in diverſis locis. Sed contra 1. In illo ſtatu intentionali, in quo adeſt animal, vel adeſt ſimul objectivè rationale? vel non adeſt? ſi primum. Ergo dum cognoſcitur animal, ſimul ex parte objecti cognoſcitur rationale, ut contendo: eſſe enim in ſtatu intentionali, eſt formaliter cognoſci Si 2dum: Ergo mutatis vocibus redeunt de animali & rationali contradictoria, ſcilicet, *Adeſſe & non adeſſe in eodem ſtatu intentionali.* Contra 2. Animal & rationale ut ſunt in ſtatu intentionali, ſupra quæ objectivè & ſecundùm ſe,conſiderata, cadit,per te, Ly *Cognoſci & non cognoſci*, vel ſunt illa eadem omninò,quæ ſunt à parte rei, ſine ulla acquiſita intrinſeca diſtinctione? vel non ſunt eadem? Non poteſt dici hoc ſecundum, ut videbatur aſſerere Reſpondens: Tum quia cognitio, ut pote extrinſeca, non immutat intrinſecè objectum, ſed præciſè ſeipſam addendo, fa- *Occurritur Reſponſioni.*

cit formaliter cognitum: Tum quia hic ego quæro non de animali & rationali conficto ſed de illo quod eſt à parte rei in homine. Sed nec primum dici poteſt: quia jam ſicut ſupra animal & rationale ut ſunt à parte rei, per te, non poteſt cadere *Cognoſci* & *Non cognoſci*: ita nec poterit cadere ſupra illa, ut ſunt in ſtatu intentionali objective & ſecundum ſe conſiderata. Inquam *ſecundum ſe conſiderata*: quia ita dicunt præſcindentes objective. Nos enim fatemur animal & rationale, ut ſunt in ſtatu intentionali, poſſe cognoſci, & non cognoſci, in hoc ſenſu, quod tota entitas hominis, quatenus ſubſtat cognitioni directæ à qua dicitur Animal, poſſit cognoſci reflexe; & ſimul non cognoſci reflexe eadem tota entitas, ut ſubſtat alteri cognitioni directæ, à qua dicitur Rationale: ſed hic cadit contradictio ſupra idem realiter inadæquate, ſeu ſupra idem objectum ut ſubſtans duabus cognitionibus directis, in quo nullum eſt inconveniens. Hoc pacto etiam poſſet dici, quod charta replicata, ut ſubſtat uni ubicationi, dividitur; ut ſubſtat alteri, non dividitur: ita ut contradictio cadat ſupra eandem chartam non ſecundum ſe, ſed vt ſubſtantem duabus vbicationibus. Per quod occurritur illi inſtantiæ obiectæ. Hinc contra 3. ſic arguo. Cognoſci animal, & non cognoſci rationale tantum vt ſunt in ſtatu intentionali, eſt cognoſci & non cognoſci tantum reflexe; cognitio enim directa terminatur ad aliquid, ut eſt à parte rei. Ergo ſaltem per cognitionem directam non poteſt cognoſci animal, quin cognoſcatur rationale. Ergo nec per reflexam: quia reflexa totum id objectum attingit ſecundo, quod primo attingebat directa. Contra 4. Ante

quod

omnem ſtatum intentionalem convenit animali & rationali capacitas nè ſit chimera; ſed ſuppoſito, quòd animal Petri, in ſenſu formali objectivo cognoſcatur per cognitionem, per quam in ſenſu formali objectivo non cognoſcatur rationale; datur in animali capacitas, ut cognoſcatur in ſenſu formali per illam cognitionem, ità ut chimera ſit, illud non poſſe cognoſci in ſenſu formali per illam cognitionem, per quam cognoſcitur; ſimulq; non datur iſta capacitas in rationali, ità ut chimera ſit rationale cognoſci in ſenſu formali per illam cognitionem, per quam ſupponitur non cognoſci: Ergo ante omnem ſtatum intentionalem datur prædicta capacitas in animali, & non datur in rationali, quæ ſunt contradictoria.

Aliorum Reſponſiones impugnatas, vide ſi placet diſp: 2. de Deo qu. 6. ubi etiam contra P. Izquierdo oſtendi, non poſſe præciſiones objectivas ſalvari per diverſa phantaſmata. Et ibi inter alia ſic argumentor: Vel phantaſmati Animalis Petri ſubſtat ſimul tam Animal quam Rationale Petri, ut eſt quid à parte rei? vel ſubſtat ſolum Animal Petri, & non Rationale, ut eſt à parte rei? Si primum? Ergo idem dici poteſt de cognitione ſubſequente phantaſma, cui illa proportionatur in objecto, adeoq; talis cognitio non præſcindet ex parte objecti. Si ſecundum? Ergo prædicata contradictoria verificantur de Animali Petri & Rationali, ut eſt à parte rei, pro priori ante phantaſma, nempe hæc: *ſubſtare & non ſubſtare eidem phantaſmati*, quod implicat, ut vidimus.

PUNCTUM V.

Declarantur Præciſiones Formales ex parte actûs.

Quid Præciſio obiectiva? quid formalis?

§ XIX. Explicandæ jam ſunt Præciſiones Formales, quas admittimus, tum inter prædicata DEI neceſſaria abſoluta, tum univerſaliter inter creatas formalitates. Sicut ergo objectiva Præciſio in hoc conſiſtit, quòd ex duabus formalitatibus objectivis, una, v. g. Animal hominis, terminet cognitionem, & alia formalitas objectiva, v. g. Rationale, non terminet eandem cognitionem, unde fit, ut quaſi dividantur, & ſeparentur intentionaliter: ita præciſio formalis ex parte actûs in hoc conſiſtit, quòd tota entitas rei, cum omnibus ſuis formalitatibus objectivis, cognoſcatur per unam cognitionem, relatè ad quædam connotata, & non cognoſcatur per aliam cognitionem, per quam poteſt cognoſci, relatè ad quædam alia connotata ſua, v. g. eatenùs præſcinditur ex parte actûs Animal Petri à rationali, quatenùs tota entitas Petri, ſcilicet & Vivens, & Animal, & Rationale, & Riſibile &c. &c. objectivè ſumpta, cognoſcuntur ſub illo conceptu, à quo denominantur Animal, hoc eſt ſub conceptu expreſſivo ſui objecti per ordinem ad ſenſationes, & non cognoſcuntur ſub alio conceptu, à quo denominantur Rationale, hoc eſt ſub conceptu delineativo ſui objecti per ordinem ad ratiocinationes. Quia enim tunc adeſt intellectui ille actus, à quo objectum denominatur formaliter *Animal*, & non adeſt ille actus, à quo illud objectum denominatur formaliter *Rationale*;

ideò

ideò propter ſeparationem iſtiùs ſecundi actùs à primo, dicitur Animal præſcindi formaliter ex parte actus à Rationali, quamvis totum idem objectum adſit ſub priori actu, quod adeſſet ſub ſecundo actu, ſi hic daretur.

§ XX. Ad cujus majorem intelligentiam ſciendum, de uno eodemq; omnino objecto poſſe formari à nobis multiplices ac diverſas cognitiones inadæquatas, hoc eſt, non expreſſivas Objecti tantùm, quantùm eſt exprimibile; ut cum de eodem omninò indiviſibili objecto, fit opinio, & demonſtratio. Quæ diverſitas cognitionum, in cognitionibus abſtractivis, & ænigmaticis oritur ex diverſitate objecti indirecti, & in obliquo cogniti, nempe ex diverſitate mediorum, per quæ, & connotatorum (qualia ſunt, cauſa, ſubjectum, effectus, actio, paſſio, ubicatio, duratio, &c.) in ordine ad quæ cognoſcitur idem objectum. Atq; ita, cùm hic in via cognoſcamus DEUM ænigmaticè per creaturas multiplices, & diverſas; ſimiliterq; ſubſtantias cognoſcamus mediantibus accidentibus & operationibus ipſarum, tanquam per media cognoſcendi, nec non relatè ad diverſa connotata; hinc eſt, quòd tam multiplicia ac diverſa media, necnon connotata, transfundant extrinſecè ſuam multiplicitatem in objectum directum indiviſibile, illudq; multipliciter, ac diverſimodè faciant intellectui noſtro apparere. Exemplum eſt in oculo utente perſpiciliis diverſorum colorum circa idem objectum. Sicut enim eadem tota roſa alba, ſi videatur per conſpicilia rubea, apparet rubea; ſi per viridia, viridis; ſi per cærulea, apparet cærulea, licet nulla ſit diverſitas & multiplicitas in roſa, quæ videtur: ita eadem tota entitas Petri, cognita ab intellectu

Unde oritur multiplicitas cognitionum abſtractivarũ de eodem objecto.

per operationes movendi ſe ab intrinſeco, per quas etiam cognoſcitur planta, apparet confuſè, ut quid indiſcernibile à planta; & rurſus eadem entitas tota, cognita per ſenſationes, per quas etiam cognoſcitur brutum, apparet quidem nonnihil clariùs, & ut quid diſtinctum à planta, adhuc tamen confuſe, & ut quid indiſcernibile à bruto; atq; ulteriùs eadem tota entitas Petri, cognita per diſcurſus, apparet adhuc clariùs, ut quid diſtinctum à bruto, confuſum tamen cum Petro, Paulo; donec tandem cognoſcatur per ordinem ad accidentia individualia, ſtaturæ, figuræ, coloris, per quæ cognoſcitur clariſſime & ut quid diſcretum, ab omni eo, quod non eſt Petrus; cùm tamen tota iſta diverſitas & multiplicitas apparentiæ, non ſit in ipſo objecto, quod directè attingitur, ſed in medio, & connotatis, per quæ, & relatè ad quæ attingitur, necnon in conceptibus formalibus, quibus attingitur idem omnino ſimplex objectum. Quia verò à nobis voces ſubſtituuntur conceptibus, ſignificantque res cognitas, ideò pro multiplicitate ac diverſitate conceptuum formalium, quibus idem objectum cognoſcitur, diverſa ipſi nomina imponuntur: atq; ita tota entitas Petri, ut cognita primò illo conceptu formali, vocatur Vivens; ut cognita ſecundo conceptu, vocatur Animal, ut tertio, Rationale; ut quarto, Petrus. Hoc modo diſcurre de aliis quibusvis prædicatis eſſentialibus rei, necnon de prædicatis DEI neceſſariis, & abſolutis, v. g. de Iuſtitia, Miſericordiâ &c. Hæc enim multiplicia nomina ſignificant DEUM cognitum à nobis adinſtar multiplicium creaturarum, puta adinſtar juſtitiæ & miſericordiæ creatæ, diſtinctarum realiter, vel per ordinem ad mul-

Unde diverſitas nominum ejuſdem objecti?

multiplices realiter effectus creatos, quos cauſat DEus, puta per ordinem ad effectum puniendi & miſerendi.

§ XXI. Si verò loquamur de cognitionibus inadæquatis intuitivis, dico poſſe per eas etiam independenter à multiplicitate & diverſitate connotatorum & mediorum, idem objectum apparere diverſimodè, ſaltem negativè, hoc eſt inæqualiter; ſeu clariùs & minùs clarè, ut patet in viſionibus beatificis de DEO Hoc autem provenit vel ex diverſa & inæquali diſpoſitione potentiæ cognoſcentis; & ideò oculus acutior perfectiùs videt, vel ex ipſa imperfectione cognitionis intuitivæ, non adæquantis intentionaliter cognoſcibilitatem objecti, præſertim ſi hoc tantùm cognoſcatur, quantùm ipſum voluerit cognoſci, ut accidit in viſionibus beatificis DEI. Declaratur hoc ipſum exemplo cauſæ phyſicæ. Sicut enim hæc tota cum omnibus ſuis formalitatibus objectivis conſiderata, diverſimodè tamen & inæqualiter ſe delineat phyſicè in ſuis effectib⁹ phyſicis diverſis & multiplicibus,idq; vel ob diverſam diſpoſitionem paſſi, vel ob diverſam ſui applicationem &c. ita etiam objectum, quod eſt cauſa intentionalis, viſionis ſui poteſt totum idemq; ſemper concurrens, ob ſimiles rationes, diverſimodè ſe delineare intentionaliter in ſuis multis ac diverſis effectibus intentionalibus, nempe in cognitionibus.

Vnde provenit inæqualitas cognitionũ intuitivarum ejuſdem objecti?

§ XXII. Ex hoc duplici fundamento, quòd ſcilicet de uno eodemq; objecto fieri poſſint multæ, & diverſæ cognitiones, & quòd idem objectum à diverſis cognitionibus ſortiatur diverſa nomina, apparet, cùr vi præciſionis formalis ex parte actûs, dicatur cognoſci formaliter Ani-

mal hominis, & non Rationale. Senſus nimirum eſt, cognoſci omnes formalitates hominis ut ſunt à parte rei, & ex parte objecti, nullà exceptà, ſed cognitione illà minus clarà, vi cujus non diſcernuntur à brutis, nempe relatè ad ſenſationes, & à qua cognitione, objectum illud formaliter denominatur Animal; ſimulq; omnes eaſdem formalitates ex parte objecti nullâ exceptâ, non cognoſci aliâ cognitione clariori, vi cujus diſcernantur à brutis, nempe per ordinem ad diſcurſus, & à qua objectum illud totum denominetur formaliter Rationale. Itaq; iſta præciſio verſatur inter ipſos actus intellectûs, non autem inter objecta actuum ſecundùm ſe, nullaq; eſt formalitas ex parte objecti in homine, in quam non cadat Ly *Cognoſci*, dum dicitur Animal in homine cognoſci; & nulla eſt, in quam non cadat Ly *Non cognoſci*, (intellige per aliam cognitionem,) dum dicitur Ly *Non cognoſci* de rationali: & ſic, quidquid dicitur, vel negatur de una formalitate, idem dicitur vel negatur de altera, objectivè ſumptis.

Inſtantiæ pro forma-libus Præ-ciſionibus.

Declaratur hoc ipſum duplici inſtantiâ. Prima eſt: quia poteſt accidere, ut quis concipiat definitum, & non concipiat ejus definitionem veram, & tamen tunc non præſcindit objectivè à definitione, ſed eam obſcurè concipit ſub conceptu definiti. Ergo idem dicendum de aliis formalitatibus. Altera inſtantia eſt in Bono & Vero. ſicut enim nihil eſt in entitate bona, quod attingatur à voluntate, & non attingatur ab intellectu; aliàs voluntas ferretur in incognitum, & tamen voluntas attingere dicitur entitatem ut eſt bona, non autem ut eſt vera, intellectus autem attingere ipſam ut eſt vera, non ut eſt bona, idq;

ex

ex eo quia aliter illam attingit voluntas, ſcilicet per amorem, relatè ad quem dicitur bona; & aliter intellectus, ſcilicet per aſſenſum, relate ad quem dicitur vera: ita pariter dum cognoſcitur objectum ut Animal, & non ut Rationale, ex eo fit, quia diverſus eſt modus tendendi ille, quo dico *Animal*, ab illo, quo dico *Rationale*, licet idem ſit & totum objectum directum utrobiq;.

§ XXIII. Hinc ulteriùs patet, cognitionem hìc dici inadæquatam non ex parte objecti, quaſi partem objecti repræſentet, & partem non; ſed ex parte actûs, quia totum objectum non adæquatè repræſentat, ſeu non perfectè; & ideò cognitiones duæ inadæquatæ de eadem re, differunt ſolum ex modo tendendi, vel etiam ex parte objecti indirecti, ſi ſunt ænigmaticæ. Quo pacto etiam differt cognitio clara & confuſa de eadem re. Eſt enim cognitio confuſa illa, vi cujus unum non poteſt diſcerni ab alio, ex eo, quia cognoſcitur per ordinem ad connotata ſimilia illis, relatè ad quæ cognoſcitur etiam aliud. E contra autem cognitio clara eſt, vi cujus unum diſcernitur ab alio, eò quod cognoſcatur per ordinem ad connotata ſibi propria & pecularia. *Quid ſit cognitio inadæquata? confuſa? clara?*

PUNCTUM VI.

Explicatur Diſtinctio rationis.

§ XXIV. Tandem patet ex dictis, quid ſit Diſtinctio rationis? Eſt enim unius ejuſdemque objecti, alia & alia apparentia in noſtro intellectu, per ordinem ad alia & alia connotata; ita ut hæc Diſtinctio non ſit in ipſo objecto, ſed revera ſit diſtinctio realis conceptuum formalium de eodem objecto, à quibus conceptibus, qui ſunt opus rationis, objectum omninò in ſe indiſtin- *Quid diſtinctio rationis?*

ctum per denominationem extrinſecam dicitur diſtinctum ratione noſtra. Vocatur autem hæc diſtinctio formalis; quia per diſtinctos realiter conceptus eadem res formatur & figuratur in intellectu.

§ XXV Porrò, ſi eadem res diuerſis realiter conceptibus concipiatur per ordinem ad diuerſa realiter connotata exiſtentia in objecto extrà noſtrum intellectum concipientem, tunc erit Diſtinctio rationis ratiocinatæ, ſeu cum fundamento in re; illa enim connotata quæ dantur in ipſa re cognita, ſunt fundametum talis Diſtinctionis. Et hoc modò diſtingyuntur Gradus Metaphyſici in uno individuo. Si verò eadem res concipietur diverſis conceptibus per ordinem ad diverſa connotata, indiſtincta ab actibus noſtri intellectûs concipientis, tunc erit Diſtinctio rationis ratiocinantis, ſeu ſine fundamento in re quæ cognoſcitur; quia illa connotata, quæ ſunt fundamentum talis Diſtinctionis, non dantur in objecto, ſed tantùm in noſtro intellectu. Et hoc modo diſtinguitur definitio à definito, & Petrus ut eſt ſubjectum, à Petro ut eſt prædicatum, quia ſcilicet concipitur diverſimodè, nunc relatè ad actum prædicantem, nunc per ordinem ad actum ſubiicientem. Hinc prior Diſtinctio fit per actus directos, ſecunda per reflexos. Atq; ex his manet explicata noſtra ſententia de Diſtinctione reali, formali ex natura rei, Virtuali, & Præciſionibus, ac Diſtinctione rationis.

[...]am rati-ocinatæ, quàm ra-tiocinatis?

PUNCTUM VII.

Solvuntur Argumenta initio Quæſtionis propoſita.

Ad 1. Animal & Rationale Petri, (idem eſto judi-

Judicium de ſimilibus formalitatibus,) dupliciter ſpectari poſſunt. Primò in ſtatu phyſico ſeu ut ſunt à parte rei; ſecundò in ſtatu intentionali præciſionis. Si primò modo ſpectentur, quidquid dicitur, vel negatur de una formalitate, idem omninò dici, vel negari debet de alia. Itaq; ſi Animal, quod eſt in Petro, ſpectetur in ſtatu phyſico; nullo modo, ne quidem ſubſiſtendi conſequentiâ, prius eſt rationali; ſeu indifferens ad rationale, (cùm nihil à parte rei ſit prius ſeipſo,) ſed eſt eſſentialiter determinatum ad rationale, valetq; conſequentia: Datur Animal Petri: Ergo datur Rationale. Idem etiam Animal, ut eſt à parte rei, non eſt commune multis, ſicut nec Rationale, ſed potiùs utrumq; eſt ſingulare. Item Petrus tam per Animal, quàm per Rationale, ut ſunt à parte rei, & ſentit & diſcurrit: totus enim homo denominatur cauſa effectiva & ſubjectiva tam ſenſationum, quàm diſcurſuum. Unde ulteriùs, Petrus tam ſecundùm ſuum Animal, quàm ſecundùm Rationale, ut ſpectantur in ſenſu reali, eſt imperfectè ſimilis, & imperfectè diſſimilis bruto. Imperfectè ſimilis: quia a parte rei, ſecundùm utramq; formalitatem efficit & recipit ſenſationes, ſicut brutum: imperfectè diſſimilis: quia ſecundùm utramq; formalitatem efficit & recipit à parte rei diſcurſus, ſecus quàm brutum. Quæ non ſunt contradictoria, ſicut nec in crepuſculo ſunt contraria, eſſe imperfectè lucidum, & imperfectè tenebroſum; quia non eſt hìc affirmatiò & negatio ejuſdem gradûs ſimilitudinis. Poteſt nimirùm dari major & minor ſimilitudo cum alio: & ſic ſine contradictione poteſt de eodem ſubjecto affirmari gradus imperfectior ſimilitudinis, & negari perfecti-

Contradictoria non dicũtur de duab⁹ formalitatibus ſecum realiter idẽtificatis ut ſunt à parte rei & ſecũdùm ſe, ſed tantùm quatenùs ambæ ſimul ſubſtant diverſis realiter cognitionibus.

fecti-

fectior reperibilis ſaltem in alio ſubjecto. Unde ſecùs eſt philoſophandum quoad hoc punctum de æqualitate, & de ſimilitudine: æqualitas enim cùm non poſſit eſſe major, vel minor cùm alio; (ſiquidem eſſe æquale ut ſic, eſt eſſe tantùm, quantum eſt alterum, quod conſiſtit in indiviſibili; ſecùs autem eſſe ſimile, eſt eſſe adinſtar alterius, quod non conſiſtit in indiviſibili:) ideò ſunt contradictoria, eſſe imperfectè æquale, & imperfectè inæquale alteri; ſecùs autem, eſſe imperfectè ſimile & imperfectè diſſimile alteri. Nulla ergo in ſtatu reali conveniunt contradictoria Animali & Rationali Petri.

Cæterùm ſi hæ formalitates ſpectentur formaliter, & in ſtatu intentionali, dico: in hoc ſtatu utramq; hanc formalitatem eſſe idem indiviſibile objectum ſubſtans duobus realiter diverſis conceptibus noſtris inadæquatis, quorum unus, nempe referens idem objectum ad ſenſationes, & denominans formaliter Animal, eſt prior, quia notior; eſt indifferens & magis communis, quia frequentiùs formabilis, & pluribus objectis applicabilis, quàm ſit alter conceptus referens totum idem objectum ad diſcurſus, & denominans formaliter Rationale. Unde non eſt mirum quòd de animali & rationali ſic ſpectatis dicantur extrinſeca contradictoria, nempe eſſe prius, & poſterius; eſſe magis, & eſſe minùs commune ac indifferens: dicuntur enim hæc de eodem quidem objecto, ſed ſubſtante diverſis realiter formis intentionalibus, id eſt cognitionibus, ſeu de eodem inadæquatè; ſicut etiam de eodem Petro veſtito albâ & nigrâ veſte, poſſunt dici contradictoria. Tota videlicet iſta contradictio, nempe prioritas, & poſterioritas; indiffe-

ren-

rentia & determinatio, non eſt in ipſo objecto, ſecundùm ſe, ſpectato, ſed in actibus intellectûs realiter diverſis, a quibus extrinſecè denominatur objectum nunc prius, nunc poſterius, nunc magis, nunc minùs determinatum. Eadem de cauſa etiam dicitur homo in ſenſu formali per animal ſentire tantùm, & eſſe perfectè ſimilis bruto, quatenus tunc animal hominis ſimul cùm rationali, ſubſtat cognitioni præciſivæ referenti totum hominem per ordinem ad ſolas ſenſationes, & non diſcernenti illum à brutis; per rationale verò dicitur ſolùm diſcurrere, & eſſe perfectè diſſimilis brutis, quatenùs tunc rationale ſimul cum animali hominis ſubſtat cognitioni referenti idem objectum per ordinem ad diſcurſus, & ſic diſcernenti illud perfectè à brutis. Sed neq; in hoc eſt contradictio de eodem, reſpectu ejuſdem, ſed reſpectu diverſarum realiter cognitionum. Cæterùm quòd reſpectu diverſarum formaliter ex natura rei, vel virtualiter extrinſecè formalitatum, nequeant dici contradictoria de eodem realiter objecto, oſtenſum eſt pun. 1.

Ad 2. Diſcrimen inter rationem analogam v. g. entis, & inter rationem univocam v. g. animalis, hoc eſt, quòd ratio entis non tantùm formaliter ex parte objecti, ſed etiam formaliter ex parte actûs, includitur in differentiis ſuorum inferiorum, quamvis hæ ſupra conceptum entis dicant plus aliquid ex parte actûs, hoc eſt conceptum clariorem; ſecùs autem includitur in ſuis differentiis ratio animalis. Nempe conceptus formalis entis ut ſic, refert ſuum objectum v. g. per ordinem ad oppoſitionem cum nihilo, vel per ordinem ad motionem potentiæ intentionalis præciſè; conceptus vero formalis v. g.

Aba-

Abalietatis, quæ eſt differentia diviſiva entis, refert ſuum objectum, & per ordinem ad oppoſitionem cum nihilo, ſeu relate ad motionem potentiæ intentionalis, & inſuper per ordinem ad cauſam, à qua eſt, ſiquidem per hunc conceptum apprehenditur Abalietas ut tale ens; unde conceptus formalis Abalietatis eſt aliquâ ex parte, ſimilis conceptui entis, ac proinde in Abalietate includitur formaliter etiam ex parte actûs ratio entis. Cùm ergo Creatura differat à Deo formaliter ex parte actûs per Abalietatem, differt etiam formaliter ex parte actûs, & non tantùm ex parte objecti, per ipſam rationem entis in ſtatu contractionis ſpectatam; licet in ſtatu abſtractionis conveniat formaliter ex parte actûs, creatura cum Deo per rationem entis, quatenùs ſub ratione entis ut ſic, Deus & creatura confuſè cognoſcuntur. Eſt igitur ratio entis Analoga reſpectu Dei & creaturæ, & ſimiliter reſpectu aliorum ſuorum inferiorum, quia eſt ratio formaliter ex parte actûs conveniendi, & ſimul diſconveniendi ſuis inferioribus, pro ſtatibus diverſis; quod eſt de eſſentia rationis analogæ. Non ſic autem ratio v. g. Animalis: conceptus enim animalis ut ſic, refert ſuum objectum per ordinem ad ſenſationes præcisè; conceptus autem rationalitatis, quæ eſt differentia diviſiva animalis, refert ſuum objectum per ordinem ad diſcurſus præcisè; ideòq; prior conceptus non includitur in poſteriori; unde homo differens à bruto formaliter ex parte actûs per rationalitatem, non differt formaliter ex parte actûs per rationem animalis in ſtatu contractionis ſpectatam; ſolùmq; formaliter ex parte actûs convenit per Animalitatem in ſtatu abſtractionis ſpectatam, quatenùs ſub con-

Differētia rationis Analogæ ab Vnivoca.

conceptu Animalis ut ſic, confunditur cum brutis, juxta dicenda quæſtione ſequenti. Eſt ergò ratio Animalis univoca, quia eſt tantùm ratio conveniendi formaliter ex parte actûs, quod eſt de eſſentia rationis univocæ.

Ad 3. Argumentum hoc imprimis probat, nullam dari formalitatem indiuiſibilem in alias formalitates ex natura rei, diſtinctas. Sit enim talis formalitas v g. *Rationalitas*; iam in hac formalitate poſſum inuenire duo prædicata, primum hoc genericum, quòd ſit *Formalitas ex natura rei ſimplex*; ſecundum quaſi differentiale, quòd ſit *Humana*: primum prædicatum erit illi commune cum Rugibilitate, Hinnibilitate &c: adeoq; ex ſua natura, ſeu ex vi ſuæ eſſentiæ, à parte rei, primum prædicatum non poſtulabit definiri per ſecundum prædicatum, ita ſicut animal per rationale. Ergo illa differentia formaliter ex natura rei ſimplex, non erit ſimplex, quia habebit duo prædicata formaliter ex natura rei, diſtincta. Deinde idem argumentum eſt à non ſupponente, & miſcet terminos ſibi repugnantes, dicendo: *Animal Petri à parte rei formaliter ſumptum ex natura rei, ſecundùm ſe, & ex vi ſuæ eſſentiæ &c. conſideratum*, cùm tamen hi termini ſint implicitè concreta ſecundointentionalia, deſumpta ab actu intellectûs noſtri, præſcindente, reduplicante &c: perinde ac Eſſe ſubjectum, prædicatum, ſunt concreta explicitè ſecundointentionalia, deſumpta ab actu ſubijciente, prædicante; Dicimus ergo Animal, quod eſt in Petro, à parte rei ſpectatum, eſſe principium non tantùm ſenſationum, ſed etiam diſcurſuum, perinde ac Rationale, prout eſt à parte rei; ac proinde utrumq; hoc prædicatum, prout eſt à par-

Quomodo duo grad⁹ Metaphyſici petũt

ex natura rei diverſimodè definiri? parte rei ſpectatum, petit definiri, tam in ordine ad ſenſationes, quam in ordine ad diſcurſus; vel diviſim, ſi inadæquatè definitur, vel copulativè, ſi adæquatè definitur. Quando tamen utraque iſta formalitas objectiva, ſeu totus homo, ſumitur in ſtatu intentionali, ut ſubſtat conceptui inadæquato confundenti objectum cum brutis, à quo conceptu denominatur *Animal ſecundum ſe*, ſeu *ex vi eſſentiæ ſuæ*; tunc petit definiri per hoc tantum quòd ſit principium ſentiendi. Et rurſus cum ſubſtat utraq; iſta formalitas objectiva indiviſibiliter, ſeu totus homo, alteri conceptui diſcernenti objectum à brutis, à quo denominatur *Rationale formaliter ſeu ſecundum ſe*; tunc petit definiri per hoc tantum, quòd ſit principium ratiocinandi. Sed hæc definitionum formalium diverſa exigentia cadit ſupra idem objectum, ut ſubſtans duobus conceptibus formalibus præciſivis, in quo nullum eſt inconveniens ut ſupra dictum. Porrò prædictæ definitiones formales ſunt inadæquatæ reſpectu ſui definiti in hoc ſenſu, quòd neutra exprimat ſuum definitum relatè ad omnia connotata, ad quæ eſt exprimibile, prout eſt à parte rei; ſunt tamen adæquatæ in hoc ſenſu, quòd conſtent genere, & differentia, juxta regulas Dialecticæ. Neq; hinc ſequitur quòd ubicunq; eſſet Animal, eſſet à parte rei principium diſcurrendi; nam in bruto animal à parte rei eſt aliud, & valdè diverſum, utpote eſſentialiter connexum, cum irrationalitate, quam ſit illud, quod eſt in homine, quod ſcilicet connexum eſſentialiter eſt cum rationali.

Diſtinctionis realis Ad 4. Ex ſeparabilitate reali extremorum infertur Diſtinctio realis ipſorum, ſed non ex inſeparabilitate, indiſtinctio realis, ut inter alia patet

tet in Perſonis Divinis realiter diſtinctis, & tamen à ſe inſeparabilibus. Potius ergò ex verâ negabilitate unius de altero prout ſunt à parte rei, infertur Diſtinctio realis. Sicut enim diſtingui in genere, nihil aliud eſt, quàm hoc non eſſe hoc; ita diſtingui realiter, eſt hoc à parte rei actu non eſſe hoc. Quibus ergo talis negabilitas conceditur, licet inſeparabilibus à ſe, concedenda etiam illis eſt diſtinctio realis, & non tantum formalis ex natura rei. Quod additur, Diſtinctionem formalem ex natura rei dari defacto, ſed neſciri à nobis, ubi ſit; mirum profectò eſt. Ad quem enim alium ſpectat, niſi ad Philoſophum decernere, ubi, & qualis, in rebus naturalibus intercedat Diſtinctio? Deinde ſi Gradus Metaphyſici in eodem individuo, poſſunt explicari ſine Diſtinctione formali ex natura rei, non video ullam neceſſitatem multiplicandi hoc genus Diſtinctionis inter alia prædicata, inter ſe realiter identificata. *quod ſit ſignum?*

Ad 5. Sine ulla Diſtinctione reali in tertio, non datur æquivalentia unius diviſibilis entitatis, in ordine ad verificanda duo contradictoria, quæ æquivalentia vocatur diſtinctio virtualis intrinſeca. Nullum enim ens reale æquivalet chimeræ; verificari autem duo contradictoria de eodem realiter, ſine ulla diſtinctione reali, eſt chimera. Solùm ergo in objecto indiviſibili, abſq; diſtinctione reali in tertio, poteſt dari æquivalentia ad plures realiter effectus præſtandos, quia præſtantur à diverſis cauſis; quæ æquivalentia dicitur diſtinctio Virtualis extrinſeca, ut dictum eſt. Inſtantia illa de pipere virtualiter intrinſecè calido, cùm ſit formaliter frigidum, eſt frigida; quia per Tò *Virtualiter intrinſecè calidum*

lidum, intelligitur vis intrinſeca piperi, producendi calorem: at verò nomine diſtinctionis Virtualis intrinſecæ, non intelligitur potentia intrinſeca rei, producendi diſtinctos realiter effectus, ſed verificandi per ſeipſam contradictoria, quod fieri non poteſt, ut probatum eſt, ſine aliqua Diſtinctione reali.

Ad 6. Patet ex dictis repugnare talem Diſtinctionem in creatis, qualis reperitur in Myſterio Divinæ Trinitatis. Provenit autem hoc non ex ſimplicitate creaturæ, ſed ex defectu Infinitatis, qvæ reperitur in ſolo Deo. Creaturæ ergo ſunt imitationes Dei, ſecundùm perfectiones ejus abſolutas neceſſariasq; , non autem ſecundum conceptum Trinitatis, quæ eſt ſupra captum humanum, & qvæ inverſo ordine continetur in creaturis, eò quòd in ipſa, duæ perſonæ realiter diſtinctæ, ſint idem quid cum uno tertio, ſcilicet, cum Eſſentia, id eſt, eò quòd ibi diſtinguatur Natura à Perſonis in tertio. Quapropter ſemper mihi plurimùm diſplicuerunt hi Authores, qui ex hoc Myſterio argumentantur ad creata, tanquam à pari; hoc enim eſt, res faciles adinſtar difficillimi Myſterij explicare, & velle poſſibilitatem Trinitatis, eſſe lumine rationis demonſtrabilem. Quare talibus pro diſparitate hæc ipſa ratio deberet ſufficere, ne quid par Myſterio Trinitatis inveniatur in creatis. Quanquam alia etiã ratio diſcriminis data eſt in qq. ſel. ad 1. p. qu. 1. §. *Probatur* 10. & Diſp. 7. de Deo, initio:

Ad 7. Dum à longe video moveri motu progreſſivo objectum, quod re ipſa eſt homo, non ſolum tunc cognoſco ex parte objecti animal, ſed etiam rationale; cognoſco enim tunc id, quod eſt principium phyſicum cauſans talem motum, quod

quod principium proculdubio eſt tota entitas Petri. Et quidem eadem claritate & confuſione cognitionis imperfectè claræ, & imperfectè confuſæ, tunc cognoſco tam animal, quàm rationale: utramq; enim indiviſibiliter formalitatem, adeoq; totam entitatem hominis, cognoſco tunc confusè, confuſione confundente illam cum animalibus, & ſimul utramq; formalitatem, ac totam entitatem hominis, cognoſco tunc clarè, claritate diſcernente illam à non animalibus v. g. à plantis, elementis &c. Poteſt enim eadem cognitio eſſe imperfectè clara & imperfectè obſcura, adinſtar crepuſculi imperfectè lucidi, & imperfectè tenebroſi. Cæterùm tamen, quia tunc tam animal quàm rationale cognoſco ſub conceptu animalis, hoc eſt relatè ad ſenſationes, à quo conceptu objectum denominatur formaliter Animal, & non cognoſco ſub conceptu rationalis, hoc eſt relatè ad ratiocinationes, â quo conceptu objectū dicitur formaliter Rationale; propterea præſcindo ex parte Actûs Animal à Rationali, poteſtq; dici, quod tunc cognoſcam formaliter animal, & non cognoſcam formaliter rationale, non formalitate tenente ſe ex parte objecti, ſed formalitate tenente ſe ex parte actûs. Sed iſta non ſunt contradictoria; quia per hoc ſolùm ſignificatur, adeſſe mihi tunc illum conceptum formalem, ſeu formam ſecundointentionalem, à qua, totus homo denominatur Animal, & non adeſſe tunc alium conceptum formalem, ſeu formam ſecundointentionalem, à qua totum idemq; objectum denominaretur Rationale. Secùs autem ſunt duo contradictoria: cognoſci Animal formaliter & non cognoſci Rationale formaliter, formalitate tenente ſe ex parte objecti quia ſenſus eſt, unam

formalitatem objectivam cognoſci, & alteram, quæ eſt idem realiter cum prima, non cognoſci, per eandem cognitionem. Itaq; in caſu objectionis, motus ille progreſſivus eſt mihi ſufficiens indicium cognoſcendi rationale ſub conceptu animalis, ſeu ſub conceptu non diſtinguente objectum ab ullo animali: quia videlicet ille motus ſupponitur cauſari phyſicè à rationali, atq; omnis effectus, ducit in cognitionem ſuæ cauſæ, ſive magis ſive minus claram. Unde ob eandem rationem, ſi ibi videretur alius motus progreſſivus ſimilis, non ab homine cauſatus, ſed à bove, duceret me in cognitionem non rationalitatis, ſed bovinitatis, ſub ſimili tamen conceptu animalis, non diſtinguente bovinitatem ab ullo animali. Similiter dicendum eſt: adeſſe mihi tunc ſpeciem impreſſam, ad cognoſcendum rationale, ſed ſub conceptu proprio animalis, confundente rationale cum animalibus. Atque hinc etiam eſt, quòd poſſim illud objectum negare eſſe rationale, quia ſcilicet illud cognoſco ita obſcurè, ut vi illius actûs nunquam illud poſſim diſcernere à brutis. Quâ de cauſa etiam poteſt vera definitio negari de definito, ſine præciſione objectiva. Et per hæc patet etiam reſponſio ad confirmationem.

Ad 8. De eodem exemplari indiviſibili poſſunt multiplicari imagines inadæquatè, & imperfectè repræſentantes ſuum exemplar, ut quod deeſt perfectionis in repræſentando uni, ſuppleatur per aliam: & ideo etiam dantur plures creaturæ diverſimodè repræſentantes Deum. Idem ergò dicendum de cognitionibus inadæquatis, quales ſunt præciſivæ; quæ proinde diverſificantur, vel ex diverſo modo tendendi in

idem

idem objectum, ſi ſunt intuitivæ; vel ex diverſitate connotatorum, quæ attingunt indirecte & in obliquo, ſi ſunt ænigmaticæ. Porrò in ipſis connotatis, v. g. in ſenſationibus, (quæ ſunt connotatum iſtius conceptus *Animal*,) poſſunt rurſus fieri præciſiones formales, per ordinem ad alia rurſus connotata. Si enim concipietur ſenſatio per ordinem ad cauſam, quam ultimò determinat; concipietur ſub conceptu præciſivo Actionis: ſi relate ad ſubjectum, cui inhæret; concipietur ſub conceptu Accidentis: ſi per ordinem ad aliquam ubicationem, & durationem, vel motionem potentiæ intentionalis; concipietur ſub conceptu præcivo entis. Non tamen procedetur in infinitum in connotatis; quia præciſio formalitatum univerſaliſſimarum, ad quas ſemper deveniendum eſt, puta Accidentis, Subſtantiæ, Entis, in qualibet entitate fit per ordinem ad eadem connotata. Sæpè etiam connotata concipiuntur per ordinem ad ſe mutuo, puta ſubjectum relate ad Accidens, & Accidens relatè ad Subjectum; ſicut ſolet etiam explicari Pater relatè ad Filium, & Filius relatè ad Patrem: in quo, non eſt circulus vitioſus; quia tunc explitur unum per aliud, quod præſupponitur aliunde aliqualiter notum, puta Subjectum explicatur relatè ad Accidens, per experientiam notum, & non ex ipſa definitione Subjecti; & ideò non explicatur ignotum per ignotum.

Ad Confirmationem. Objectum proportionatum noſtri intellectûs eſt quidditas rei materialis, non tamen immediatè in ſe, ſed per plura accidentia & operationes, certe non comprehenſivè, cognoſcibilis. Unde neceſſe eſt de ipſa, alias & alias fieri cognitiones inadæquatas, *Intellectus præſcinꝫ*

 tum

Deus non eſt malè conſtitutꝰ nec fingẽs.

tum ob multiplicitatem accidentium, per quæ cognoſcitur, tum ut defectus ſingularum cognitionum in repræſentando, ſuppleatur per multiplicitatem ipſarum. Hinc verò non ſequitur male eſſe conſtitutum à natura intellectum noſtrum, quòd objectum inadæquatè cognoſcat, quia major perfectio in cognoſcendo, illi non debebatur ex natura rei, ob dependentiam ejus à ſenſibus percipientibus, ſola accidentia: ſicut ob ſimilem rationem, non eſt male conſtituta voluntas noſtra, ex eo quòd poſſit peccare, aut viſus ex eo, quòd ei utenti, vitris polygonis, appareat multiplex objectum, quod in ſe eſt unicum. Rurſus quamvis unum idemq; objectum appareat in intellectu multiplex ex parte actus, cognoſcaturq; inadæquatè, quod in ſe eſt adæquatè; adhuc tamen non fingit intellectus, quia hoc nihil aliud eſt, quam pluribus inadæquatis cognitionibus idem objectum cognoſcere, (in quo non eſt fictio, ſed diſtinctio rationis & præciſio) non autem eſt tribuere objecto intentionaliter aliquod prædicatum repugnans, aut tollere, ipſi conveniens, quod eſſet fingere. Et ideo veriſſime dicitur: *Abſtrahentium non eſt mendacium.*

Quid ſit compoſitio Metaphyſica?

Ad 9. Species componitur ex genere & differentiâ non objective, ſed formaliter ex parte actûs. Ex g. Homo quatenus eſt ſpecies, (id eſt non quatenus datur à parte rei, ſpecies enim non datur à parte rei; ſed quatenus ſubſtat illi cognitioni claræ, à qua denominatur extrinſece ſpecies,) componitur formaliter, & æquivalenter, ex duplici conceptu inadæquato, altero generico referente objectum per ordinem ad ſenſationes; altero differentiali referente totum idem objectum per ordinem ad diſcurſus. Hoc

autem

autem in re ipſa, nihil eſt aliud, quàm ipſam illam cognitionem ſpecificam (quam denotat illa reduplicatio. *Homo quatenus ſpecies,*) modo prædicto componi, & eſſe totum quoddam actuale; à quâ cognitione ſic compoſita, per denominationem extrinſecam, ipſum objectum, nempe *Homo*, denominatur eſſe quid compoſitum ratione noſtrâ, ſeu metaphyſice. Quare Animal & Rationale dicuntur partes metaphyſicæ hominis, partialitate actuum inadæquatè repræſentantium idem totum objectum, non verò partialitate objecti. Homo verò dicitur Totum metaphyſicum, etiam totalitate actus adæquate repræſentantis quidditatem objecti. *Quid partes metaphyſicæ?*

Ad ultimum. Quia Animal & Rationale ita eſt unum idemq; objectum, ut ſignificet duos conceptus formales realiter diverſos, quos non ſignificat Rationale & Rationale, ideo Animal & Rationale diſtingvuntur ratione noſtra, non autem Rationale & Rationale: & ſic adhuc hæc contradictoria *Diſtingui & Non diſtingui ratione noſtrâ*, verificantur de Animali & Rationali ex una parte, & ex alia de Rationali & Rationali, id eſt, de eodem objecto, ratione diverſarum realiter cognitionum, quas utrobiq; ſignificat. Quamvis enim Tò *Diſtingui ratione noſtra, & Non diſtingui*, cadat in recto ſupra ipſum objectum, quod eſt utrobiqve omninò idem, indirecte tamen cadit etiam ſupra conceptus formales realiter diverſos, quos in obliquo dicit idem objectū, quatenùs de illo dicuntur iſta contradictoria. Sicut enim Eſſe Patrem, licet directè cadat ſupra ſubſtantiam generantem, & indirecte ſupra filium, tamen ſubſtantia generans, dicitur Pater, cum habet filium, eademq; non dicitur Pater,

dum caret Filio: ita idem objectum ſubſtans cognitionibus diverſis, dicitur diſtingui ratione noſtrâ, non dicitur verò ita diſtingui; quatenus non ſubſtat diverſis cognitionibus. Quare Diſtinctio rationis, ut benè notavit Aureolus, importat Diſtinctionem realem conceptuum, à qua, objectum in ſe indiſtinctum dicitur extrinſecè diſtingui ratione noſtrâ. Et hæc de Vnitate & Diſtinctionibus. Agendum jam eſt de Unitate Vniverſali, quæ continetur ſub genere Vnitatis ut ſic.

QVÆSTIO II.

Vtrum Vniverſale formaliter fiat ab intellectu humano per cognitionem confuſam plurium, adinſtar Vnius?

VIdetur 1. dari Vniverſale formaliter à parte rei, extra intellectum, ut cenſent Scotiſtæ; Quia nemine cogitante datur natura v. g. humana una formaliter in multis, nempe in Petro, Paulo &c. Eſt enim à parte rei indiviſa in Petro & Paulo ſecundùm ſua prædicata formalia, & ſpecifica; alioquin Petrus & Paulus à parte rei eſſent à ſe, diviſi, ſecundùm prædicata formalia & ſpecifica, & ſic differrent formaliter ſpecie à parte rei, quod dici non poteſt. Cùm igitur Vniverſale ſit unum in multis, patet, dari à parte rei, Vniverſale formaliter.

2. Objecta ſcientiarum realium puta Phyſicæ, Mathematicæ &c. dantur à parte rei. Sed objecta harum ſcientiarum ſunt univerſalia formaliter: nempe Corpus ut ſic, Quantitas in communi &c. Ergo Vniverſalia formaliter talia dantur à parte rei.

3. Ex eo, quia in intellectu fit unitas conſtituens Vniverſale, dicitur Vniverſale dari in intel-

lectu. Ergò etiam ex eo, quia datur à parte rei multitudo pariter conſtituens Vniverſale, dabitur Vniverſale à parte rei.

4. Videtur potius Vniverſale formaliter, fieri per conceptum, qui præſcindit ex parte objecti, naturam à ſuis differentijs, ut tenent Thomiſtæ. Sic enim ablatis differentijs, tollitur formaliter naturæ multitudo, quæ formaliter provenit à differentijs, & conſequenter inducitur in naturam unitas formalis: ex alia verò parte retinetur ejuſdem naturæ ſic ſpoliatæ, ſuis differentijs, indifferentia, ſeu aptitudo ad eſſendum in multis. quæ duo ſunt de conceptu Vniverſalis formaliter. Ergò hoc modo, natura creata evadit univerſaliter.

5. Videtur Vniverſale non conſtitui formaliter per conceptum confuſum plurium adinſtar unius. Quia talis actus cùm ſit intrinſecè & entitativè ſingularis, ſolumq; ſit Vniverſalis repræſentativè, quatenus multa repræſentat adinſtar unius, ſolùm videtur conſtituere Vniverſale in repræſentando, non autem Vniverſale metaphyſicum in eſſendo, aut Logicum in prædicando, de quo tamen duplici Vniverſali agitur hoc loco.

6. Si conceptus confuſus plurium adinſtar unius, multa denominat in intellectu, ſufficienter Unum, Vnitate Vniverſali, multò magis id præſtabit à parte rei, ſimilitudo plurium. Nam ex una parte tam unitas proveniens ab illo conceptu, quàm unitas proveniens ex ſimilitudine, eſt unitas tantùm ſecundum quid; neutra enim tollit multitudinem, ſolumq; prior facit, ne plura appareant ut plura, ſed adinſtar unius, ſecunda autem facit, ne plura ſint cognoſcibilia ut plura, ſed

ut ſint cognoſcibilia adinſtar unius. Ex alia parte unitas multorum, deſumpta à conceptu, eſt unitas accidentalis & extrinſeca; unitas verò multorum, deſumpta à ſimilitudine, eſt eſſentialis & intrinſeca ipſius. Ergo hæc ſecunda potius conſtituit Vniverſale formaliter.

7. Et eſt Confirmatio prioris argumenti. Plures effectus ab unitate extrinſeca Cauſæ, à qua efficiuntur, non denominantur unum, unitate Vniverſali; nec plura media ab unitate extrinſeca finis, quem reſpiciunt; nec plura accidentia ab unitate extrinſeca ſubjecti, cui inſunt: immo plura objecta non denominantur unum, unitate Vniverſali, ab unitate extrinſecâ ſpeciei impreſſæ parietis cognitionem confuſam ipſorum. Ergo nec denominantur ſimiliter unum ab unitate extrinſeca ipſius cognitionis confuſæ non diſcernentis illa inter ſe.

8. Univerſale formaliter eſt prædicabile de multis ſeorſim; ad hoc enim, quòd aliquid ſit unum in multis, ſequitur, quòd poſſit affirmari de ipſis. Si autem Univerſale formale; nihil aliud eſſet, niſi collectio multorum individuorum confuſè cognita; Univerſale non eſſet prædicabile de multis ſeorſim, non ſolùm ſecundùm illam formam, per quam conſtitueretur in ratione Univerſalis, nempe ſecundùm cognitionem confuſam; (hæc enim, ut patet, non prædicatur de inferioribus Naturæ v. g. humanæ Vniverſalis, puta de Petro & Paulo:) verùm etiam neq; ſecundum id, quod dicit pro materiali, nempe ſecundum illam collectionem multorum individuorum; hæc enim etiam nequit prædicari de quolibet ſeorſim individuo; dicendo v. g. *Petrus eſt collectio hominum confusè cognita, Paulus eſt colle-*

ctio

ctio hominum. Si autem dicatur hanc collectionem prædicari de ſingulis inadæquatè ſumptam, hoc eſt, ſecundum illud individuum incluſum in multitudine prius confuſe cognitâ, quod individuum identificatur cum ſubjecto propoſitionis; ſi inquam hoc dicatur; Contra eſt: Tum quia hæc propoſitio, *Petrus eſt homo*, eſſet identica, quia ſenſus ejus eſſet, *Petrus eſt hic homo*, nec eſſet prædicatio ſuperioris de inferiori, ſed ſingularis de ſingulari: Tum quia hac ratione, Mare eſſet Vniverſale, reſpectu vnius guttæ; quia de gutta prædicatur inadæquatè, & ſecundum partem ſui: Tum quia hoc pacto, non illud erit in affirmatione, quod in apprehenſione fuit; nam in hac, fuit Vniverſale ſecundum totam collectionem: Tum demum quia hac ratione, Vniverſale in actuali prædicatione de inferiori, amitteret ſuam Vniverſalitatem, quod dici nequit: Unumquodque enim remanet, dum actu exercet id, quod poteſt exercere, puta remanet riſibile, dum actu ridet, nec actus ſecundus tollit actum primum, ſed perficit: Sed Vniverſale eſt aptum prædicari de inferiori; Ergo remanet dum actu prædicatur.

§ I. *Reſpondetur*. Vniverſale quodcunque, eſt unum dicens ordinem ad multa in ſuo genere. Sic univerſale in cauſando v. g. ſol, eſt una cauſa potens producere multos effectus; Vniverſale in repræſentando, eſt una imago repræſentans multa exemplaria: Vniverſale in ſignificando, eſt unum ſignum v. g. hæc vox *Canis*, ſignificans multa objecta: Vniverſale complexum, eſt una propoſitio, ex qua multæ concluſiones deduci poſſunt. Quapropter Vniverſale in eſſendo ſeu metaphyſicum recte definitur ex 1. poſter. c. 10.

Multiplex eſt Vniverſale.

Quid ſit Vniverſale in eſſendo & prædicando.

& 7. met. tex. 45. *Vnum & aptum ineſſe multis.* Ex eo enim, quia eſt Vniverſale, debuit eſſe unum cum ordine ad multa; ex eo, quod ſit Vniverſale in eſſendo, debuit reſpicere multa, tanquam ipſum eſſe illorum. Quia verò prædicari ſequitur ad ineſſe, ideò ad hoc Vniverſale in eſſendo, ſequitur Vniverſale in prædicando, ſeu Logicum, eò, quod Logica dirigat prædicationes, definiturq; proportionaliter 1. Periher. c. 5. *Id quod aptum eſt prædicari de multis.* Hinc ad Vniverſale in eſſendo requiruntur hæc: Primò ut inſit ſaltem potentiâ multis, per identitatem cum ipſis, ad quam ſcilicet ſequitur affirmabilitas: quâ de cauſa, nec anima exiſtens in pluribus per unionem, nec Corpus Chriſti exiſtens in pluribus locis per replicationem, aut DEUS per Immenſitatem, ſunt Vniverſale in eſſendo reſpectu illorum multorum, quibus inſunt modo dicto. Secundò requiritur, ut inſit multis non ſolum collectivè, ſed etiam diſtributivè ſumptis, & ideò Exercitus non eſt Vniverſale reſpectu plurium militum. Tertiò ut non ſignificetur ineſſe multis, ſolum ſecundùm ſui partem aliquam, ſicut Oceanus pluribus ineſt guttis. Quartò ut inſit cum reali diviſione & multiplicatione ſui, ſicut non eſt in tribus Perſonis, Divina Natura, quæ proinde eſt ſingularis.

Quæ requiratur ad illud?

§ II. Verùm, quia unitas & multitudo tollunt ſe invicem, difficultas eſt conciliandi iſta duo, in eſſentia Univerſalis metaphyſici; quæ tanta viſa eſt Melchiori Cano lib. 6. de locis Theolog. c. 7. ut fateatur ſe, poſt multas temporis & laboris impenſas, Univerſale non percepiſſe. Ut igitur hæc conciliarent Quidam, poſuerunt Naturas creatas Univerſales diſtinctas à parte rei à ſingulari

ibus, ſicq; diſtinctis naturis tribuunt unita-
n, ſingularibus verò ipſis, multitudinem. Et
idem Plato communiter dicitur poſuiſſe na-
as Univerſales à parte rei extra ſingularia,
materiales, ingenerabiles, incorruptibiles,
as volebat eſſe objecta ſcientiarum,& id, cujus
rticipatione ſingularia ſunt id, quod ſunt.
nſeca verò, poſuit eas ante ſingularia in ſtatu
poſſibilitatis, in quo nemine cogitante, ante
cretum Dei de mundo creando, putabat eas
e indifferentes ad exiſtendum in ſingularibus.
mùm Scotiſtæ, inter quos numerantur Trom-
a, Lichettus, Tartaretus, ponunt quidem na-
as Univerſales in ſingularibus, ſed diſtinctas
u, formaliter, nemine cogitante à ſingulari-
s atq; naturis quatenus ita diſtinctis, tribuunt
itatem identitatis realis ſimpliciter cum ſingu-
ibus; ipſis verò ſingularibus, multitudinem.
e tamen poſitiones ſuſtineri non poſſunt. Na-
a enim Univerſalis v.g. humana, quia eſt affir-
bilis de multis ſingularibus, debet eſſe idem
liter cum ſingularibus, conſequenter nequit
e à parte rei, extra, vel ante ſingularia actua
, vel poſſibilia, prout ipſa eſt actu, vel poſſibi-
r: nihil enim à parte rei eſt extra, vel ante
ſum. Et rurſus quia eadem Natura eſt idem
liter cum ſingularibus; ſicut ipſa ſingularia
n habent à parte rei unitatem Univerſalem,
fatentur Scotiſtæ, ita nec illam habebit à par-
rei Natura; ne de eodem realiter objecto di-
itur duo contradictoria realia & intrinſeca,
od repugnare oſtenſum eſt Qu: præcedenti.

Univerſale formaliter non datur extra vel ante ſingularia, aut ab ipſis à parte rei, diſtinctũ

§ III. Longè probabiliùs dicunt Quidam alii
tiſtæ cum Pontio d. 3. L. q. 2. & aliis. Hi
n optimè viderent non poſſe requiri ad con-
ſtitu-

ſtituendum formaliter Univerſale, Unitatem naturæ ſimpliciter dictam, quæ tollat à parte rei omnem diviſionem & multitudinem Naturæ, ut volebant Authores modo rejecti, ſed ſufficere unitatem ſecundùm quid, & cum addito; non improbabiliter intulerunt, hanc unitatem eſſe convenientiam, & ſimilitudinem plurium individuorum, vi cujus ſolùm tollitur diviſio Naturæ v. g. humanæ in plura diſſimilia, quæ itidem tollitur ab ipſis ſingularibus; docentq; hanc unitatem poſſe dici formalem, quatenùs deſumitur à forma, in qua ſibi plura aſſimilantur. Quia verò talis unitas naturæ datur à parte rei, & datur etiam à parte rei multitudo ſingularium, in quibus eſt actu v. g. natura humana, poteſtq; eſſe in iis, ideo tenent dari à parte rei Univerſale formaliter, indiſtinctum à ſingularibus.

Non datur etiam à parte rei indiſtinctũ à ſingularibus

Hæc ſententia eſt ſatis probabilis; facit tamen contra illam: quia cùm Univerſale formale ordinetur ad ſcientias, tanquam objectum ipſarum, per illud, multa ſingularia conſtituuntur formaliter Univerſale, per quod redduntur unum proxime utile ad cognitionem ſcientificam. Hoc autem non habetur per Unitatem ſimilitudinis plurium, quæ datur à parte rei. Cùm enim hæc ſimilitudo nihil aliud ſit formaliter & expreſsè, quàm ipſæ vnitates numericæ individuorum ſimilium; ſcientiæ autem non attingant expreſsè differentias individuales, utpote infinitas, & omnino æquales in perfectione: non poſſunt plura quatenus ſimilia conducere proximè ad ſcientias, niſi per cognitionem abſtractivam naturæ à differentiis, cognoſcantur adinſtar unius, in quo uno cognoſcantur ſimul omnia, quæ conveniunt illis pluribus, quæq; de ipſis inferri poſſunt ſcientificè.

§ IV.

§ IV. Per talem ergò potiùs abſtractionem intellectûs, multa fiunt Unum, unitate Univerſalis formaliter talis; per unitatem verò ſimilitudinis ſunt unum, unitate Univerſalis fundamentaliter, & remotè, quatenùs ſimilitudo plurium eſt fundamentum dictæ abſtractionis. Atq; ita evitatur contradictio dum Univerſale dicitur eſſe unum & multa; tribuuntur enim ei, hæc prædicata oppoſita in diverſis ſtatibus, diciturq; eſſe unum in ſtatu intentionali, eſſe verò multa in ſtatu reali. Et ideò dixit Philoſophus, 3, de Anima; *Univerſale aut nihil eſt, aut poſterius animâ,* id eſt cognitione.

Univerſale formaliter tale fit per præciſionem

§ V. Eſt adhuc controverſia: Per qualem Præciſionem intellectûs fiat Univerſale formaliter? Sed patet ex quæſtione præcedenti, non poſſe fieri per Præciſionem objectivam, per quam v. g. Natura humana cognoſcatur ex parte objecti ſine Petreitate, Pauleitate, aliiſq; differentiis cum illa, realiter identificatis, prout docet cum Thomiſtis Comptonus diſp. 30. Log. S. 4. & ſeq. Et quamvis non repugnaret talis Præciſio, nihil tamen conduceret ad faciendam Naturam Univerſalem, prædicabilem de multis. Natura enim humana objectivè præciſa, cùm ſit realiter natura omnium hominum, non eſt tota extenſivè prædicabilis de Petro, tota de Paulo; alias Petrus eſſet Natura omnium hominum abſtracta. Si autem dicatur prædicari inadæquatè, & ſecundùm unam partem de Petro, ſecundùm aliam de Paulo; jam illa natura objectivè abſtracta conſtat pluribus partibus, quarum una ſit eadem cum Petro, alia cum Paulo, & ſic Univerſale erit aggregatum ex pluribus realiter inter ſe diſtinctis, & una cognitione cognitis, quod nolunt admittere iſti Authores.

Non tamen per objectivam

§ VI.

§ VI. Dicendum ergò eſt cum Hurtado, Ovi- edo, & communi hoc ſæculo ſententiâ receptâ inter noſtros, apud Arriagam d.5.Log. S. 4. ſub. 4. *Vniverſale in eſſendo formaliter ſumptum fieri per præciſionem formalem ex parte actûs, id eſt* per factum intellectûs cognoſcentem plura individua ſimilia quidē, ſed non quatenùs ſimilia (hoc enim ipſo cognoſceret plura ut plura,) nec per actum cognoſcentem ſimilia ut unum ex parte objecti, quia ſic fingeret: ſed potiùs per actū cognoſcentem ſimilia confusè adinſtar unius; ita, ut ex vi talis actûs non diſcernat ullatenùs intellectus plura inter ſe, nec certificetur de pluralitate illorum. Hinc enim fit, ut à tali actu, illa multa, ſicut denominantur extrinſecè eſſe cognita, ita denominentur extrinſecè eſſe unum quid in intellectu. Itaq; Univerſale in eſſendo eſt denominatio extrinſeca, pro materiali & in recto dicens multa individua ſimilia; pro formali verò & in obliquo dicens cognitionem confuſam modò explicatam, quæ eſt ipſa formalis unitas Univerſalis. *Ratio aſſertionis eſt:* quia ex una parte hoc modo natura v. g. hominis eſt Unum & multa, ſeu unum in multis. Eſt multa intrinſecè, ex parte objecti, & realiter. Eſt unum intentionaliter, extrinſecè & ex parte actûs confuſi, vi cujus cùm non diſcernantur, Petrus, Paulus, &c. ſecundùm quod ſibi repugnant, & dividuntur in ratione hominis; ideò extrinſecè aufertur ab illis pluralitas in ratione hominis, ac proinde vi talis actûs confuſi fit extrinſecè unitas, ſeu indiviſio naturæ humanæ in Petrum & Paulum: ſicut è contra, vi actûs clarè exprimentis Petrum & Paulum, fit diviſio per rationem ejuſdem Naturæ in Petrum & Paulum. Ex altera

Sed per formalem ex parte actus

Digitized by Google

ra verò parte, multa ut denominata ſic unum, proximè conducunt ad ſcientias, ut nuper dicebatur, quod eſt de ratione Univerſalis formaliter talis. Ergo hoc modo fit univerſale formaliter. Hoc videtur docere Philoſophus 1. poſt: c. 1. ubi docet: Nos,quando formamus propoſitionem Univerſalem, uno modo ignorare illud prædicatum Univerſale ineſſe ſingularibus non inductis, alio modo ſcire. Ubi non dicit nos nullatenus ſcire, quod eſt præſcindere à ſingularibus objectivè, ſed aliquomodo neſcire, quod eſt præſcindere ex modò tendendi a ſingularibus, ſeu neſcire clarè.

§ VII. Ex dictis reſolvitur ulteriùs illa quæſtio: An per cognitionem Diſiunctivam de termino communi v. g. hanc, *Aliquis homo*; vel copulativam v. g. hanc *Omnis homo*, fiat Univerſale in eſſendo? Reſpondetur enim, non fieri perfectum Univerſale ſcientificum, per hujusmodi actus, quia ex vi talium actuum, ſingularia ita imperfectè confunduntur, ut etiam exprimantur plura ut plura, & certificetur intellectus de pluralitate ſui objecti; ſiquidem nihil diſiungitur à ſeipſo, nec ſecum copulatur. Et quamvis à ſcientiis maximè uſurpentur illæ propoſitiones, *Omnis homo eſt animal, Nullus homo eſt lapis*; hæ tamen eatenùs ſunt utiles in ſcientiis, quatenùs præſupponunt conceptum confuſum eſſentiæ hominis, includentis animal, & excludentis lapidem.

Non fit per cognitionē diſiūctivam & copulativam.

§ VIII. Idem dicendum de cognitione Comparativa, cognoſcente reflexè convenientiam naturæ abſtractæ cum ſingularibus, hæc enim etiam ex modo tendendi exprimit pluralitatem, ut patet. Probabilis tamen eſt ſententia per talem

M cogni-

cognitionem conſtitui formaliter Univerſale Logicum, ſeu proxime & complete prædicabile, ſaltem regulariter loquendo. Cùm enim intellectus imitetur naturam, ſenſim procedentem ab imperfecto ad perfectum; primò facit apprehenſiones abſolutas prædicati & ſubjecti, v. g. Petri, & hominis ut ſic, deinde facit apprehenſionem comparativam utriuſq; extremi, utpote quæ magis accedit ad affirmationem; tum deinde ab hac comparatione movetur, ut conjungat intentionaliter prædicatum cum ſubjecto, vel dividat, per propoſitionem. Quare Univerſale Logicum plus dicit realiter, quàm Univerſale metaphyſicum; ſcilicet dicit iſtam comparationem.

Per cognitionem cõparativã fit Univerſale Logicum.

§ IX. Tandem ex dictis infertur quòd ſolus intellectus humanus, qui, ut dicit S. Thomas 2. contra Gent: *Eſt horizon inter potentias cognoſcitivas, ſpirituales, & materiales*, faciat Univerſale ſcientificum & perfectum. Superior enim intellectus Angelicus, & multò magis Divinus, ob ſuam perfectionem in cognoſcendo, cognoſcit Eſſentiam rei, & ſimul in ipſa varietatem accidentium, & multiplicitatem individuorum. Inferior autem potentia cognoſcitiva materialis, nempe ſenſus, licèt aliqualiter confuse objectum cognoſcat; tamen ob ſuam dependentiam à materià, & à conditionibus materiæ, non præſcindit ab accidentibus individuantibus, loci, temporis &c. quod tamen requiritur ad faciendum Univerſale ſcientificum perfectum.

Univerſale fit à ſolo Intellectu humano.

Atq; ex his manet explicata eſſentia Univerſalis formaliter, ejusq; materia, forma, & cauſa efficiens.

Ad 1. Natura humana à parte rei in Petro, & in Paulo, eſt una tantùm unitate ſimilitudinis,

quæ non eſt unitas formalis ſufficiens ad conſtituendum Univerſale formaliter, ſed tantùm fundamentaliter ut dictum eſt. Cæterùm non eſt una formaliter, ſeu indiviſa à parte rei in ipſis, unitate & indiviſione identitatis, aut aliâ quavis majori quàm ſit ſimilitudo: & ideò Petrus, & Paulus à parte rei, ſecundùm omnia prædicata formalia & eſſentialia, ſunt a ſe diviſi realiter, ita, ut alia realiter ſint omnia prædicata eſſentialia Petri, alia Pauli; immo repugnat prædicatum aliquod eſſentiale Petri, poſſe eſſe à parte rei in Paulo, hoc ipſo enim non eſſet eſſentiale Petro. Unde nequidem datur à parte rei unitas negativa, ſeu non repugnantia naturæ, quæ eſt in Petro, ad exiſtendum in Paulo, ut vult Cajetanus. Hinc tamen non ſequitur Petrum & Paulum differre ſpecie à parte rei: quia non differunt in ullo prædicato eſſentiali, præſcindendo ab omnibus hæcceitatibus, quod requiritur ad differentiam ſpecificam, ut dicetur quæſtione ſequenti. Neq; hinc rurſus inferas: Ergo Petrus & Paulus ſunt idem ſpecie formali à parte rei, & non tantùm fundamentali, ſiquidem non differunt ſpecie formali à parte rei, & non tantùm fundamentali. Negatur enim illatum in ſuo ſuppoſito: Quia ipſa ſpecies formalis eſt opus rationis, nec datur à parte rei, uti ſupponitur ab arguente dari; cujus argumentum eſt planè tale: Petrus & Paulus non differunt rationalitate equinâ: Ergò conveniunt in rationalitate equinâ.

Natura in ſingularib⁹ ſecundũ omnia prædicata ſua eſſẽtialia, eſt à parte rei diviſa.

Non datur à parte rei unitas negativa naturæ in multis.

Ad 2. Univerſalia ſecundùm eſſe ſuum objectivum & intrinſecum, quod dicunt in recto, ſunt objectum ſcientiarum realium; verùm ſecundùm hoc eſſe, ſunt ipſa plura ſingularia ſimilia, quæ dantur à parte rei, de his enim procedunt de-

Univerſale formaliter quomodo eſt

objectum ſcientiæ? demonſtrationes ſcientiarum: at ſecundum eſſe formale, & extrinſecum actus confuſi, quem dicunt in obliquo, non ſunt objectum ſcientiarum, ſed potius ſunt id, quo aliquid conſtituitur in ratione objecti ſcientifici: unde ſecundum id non debent dari à parte rei.

Ad 3. Ad conſtitutionem Vniverſalis, multitudo requiritur ut materia, unitas ut forma; ſicut ergo, cum forma eſt accidens, licet materia ſit ſubſtantia, totum eſt accidentale, & ſicut cum forma eſt artificialis, licet materia ſit naturalis, totum eſt artificiale: ita licet multitudo ſit quid reale, quia tamen Vnitas Univerſalis, eſt quid intentionale, ſitque ab intellectu, ideò Univerſale ſit ab intellectu, quia ab intellectu ſit forma conſtitutiva ipſius. Nam facere formam, eſt facere totum, puta, facere ſolam formam arcæ, eſt facere arcam.

Ad 4. Argumentum eſt à non ſupponente, quia ſupponit dari præciſiones objectivas, & admiſsâ etiam ſuppoſitione non concludit, ut patet ex dictis in Corpore.

Vniverſale in repræſentãdo diſtinguitur ab Vniverſali in eſſendo ut forma à toto. Ad 5. Univerſale in repræſentando, quod eſt ipſa cognitio confuſa plurium adinſtar unius, eſt forma extrinſeca conſtituens Vniverſale in eſſendo, & in prædicando ſaltem remotè. A tali enim cognitione, natura, quæ eſt realiter & intrinſecè identificata cum multis, ideoq; re ipſa, multiplicata in ſingularibus, extrinſecè denominatur eſſe una in multis, quod eſt eſſe univerſale in eſſendo. Rurſus quia talis cognitio diſponit intellectum ad prædicandum ſuum Univerſale de pluribus ſimilibus, (licet ulteriùs regulariter prærequiratur comparatio prædicati cum ſubjecto;) ideò conſtituit etiam formaliter Vniverſale

ſale in prædicando remotè. Quapropter Vniverſale in repræſentando, diſtinguitur ab univerſali in eſſendo, & in prædicando, ſicut forma à toto.

Ad 6. Oſtenſum eſt in Corpore, in quonam ſuperat unitas conceptus confuſi unitatem ſimilitudinis, in ordine ad conſtituendum formaliter Vniverſale.

Ad 7. Vnitas extrinſeca cauſæ, materiæ, ſubjecti, immo etiam ſpeciei impreſſæ inducentis cognitionem confuſam multorum, remotè facit, ut multa ſint objectum ſcientificum, ac proinde & Vniverſale formaliter; quatenus ſcilicet dicta Vnitas præbet fundamentum intellectui, aut ipſum diſponit, ut multa concipiat adinſtar unius. At unitas extrinſeca conceptus confuſi proximè & immediatè facit, ut multa ſint objectum ſcientificum, & conſequenter formaliter facit Vniverſale.

Ad 8. Conceditur Vniverſale non prædicari de inferiori ſecundum totam collectionem ſignificatam in conceptu confuſo, per ſe, prærequiſito ad talem prædicationem, ſed ſecundum illam partem collectionis, quæ realiter identificatur cum ſubjecto prædicationis. Quare Vniverſale in actuali prædicatione de ſuo inferiori, amittit Vniverſalitatem ex parte objecti, & quoad rem ſignificatam: adhuc tamen illam retinet ex modo ſignificandi; quia in hac v. g. propoſitione, *Petrus eſt homo*, licet ex parte prædicati ſignificetur objectum, quod, re ipsâ eſt ſingulare, adhuc tamen ſignificatur ſimili conceptu, quo ſignificabatur antea tota collectio hominum, ſub hoc conceptu confuſo, *Homo ut ſic*; ſiquidem utrobiq; ſignificatur objectum relatè ad eadem connotata; *Vniverſale in actuali prædicatione de inferiori, amittit ſuam Vniverſalitatem quomodo?*

nempe ad ſenſationes, & diſcurſus, non diſcernendo in ipſo, plures hæcceitates. Hinc iſta propoſitio, *Petrus eſt homo*, non eſt identica: non enim idem, eodem modo, conceptum prædicatur de ſeipſo; ſed eſt propoſitio formalis, immo eſt prædicatio naturæ ex modo ſignificandi Vniverſalis, de ſuo inferiori. Neq; hoc modo prædicatur Mare de gutta, quia terminus *Mare*, non eſt indifferens ad ſignificandum eodem modo collectionem guttarum, & guttam, ſicut terminus *Homo* eſt indifferens, ut ſignificet partem & totum. Hoc enim proprium eſt conceptus confuſi, qualis eſt hic, *Homo ut ſic*, ut ex vi illius, ſicut nequit diſcerni compars à comparte: ita neq; pars à toto, quod à parte differt per aliam partem: cum è contra in termino collectivo v. g. in hoc, *Exercitus*, & ſimiliter in hoc *Mare*, exprimatur multitudo partium. Hinc ulterius iſta propoſitio, *Petrus eſt homo* nec eſt copulativa, ut ſenſus ſit, *Petrus eſt & hic & ille homo*: nec diſiunctiva, ita ut ſenſus ſit, *Petrus eſt vel hic, vel ille homo*; ſed eſt ex parte prædicati determinata quoad rem ſignificatam, & ſimul confuſa quoad modum ſignificandi. Prædicatur verò in ipſa, idem inadæquatè quoad rem ſignificatam, quod erat in prævia apprehenſione faciente Vniverſale, & eodem modo, id eſt; indiſcernibiliter ſimili, ſignificatum.

Quomodo prædicatur de ſuo inferiori.

Neq; verò ſemper verum eſt, quod dicitur; Vnumquodq; remanere totaliter tale, dum actu exercet id, quod poteſt exercere; vivens enim quod poteſt mori, non remanet vivens, dum actu moritur; & continuum palmare potens dividi in duos ſemipalmos, non remanet palmare, dum actu dividitur. Et ratio eſt: quia dantur in rebus potentiæ ad deſtructionem, vel diminutionem

ipſi-

ipſius rei, quæ proinde res non poteſt remanere, non deſtructa, vel non diminuta, dum actu deſtruitur vel diminuitur. Talis autem eſt potentia Vniverſalis ad prædicandum de inferiori; quæ, cùm ſit potentia ad dividendum intentionaliter Vniverſale, ideò hoc debet diminui, per actualem prædicationem de ſuo inferiori.

QVÆSTIO III.

Vtrùm Differentia ſpecifica ſit diſſimilitudo in prædicato eſſentiali, præſcindente ab omni hæcceitate, & reſpectu ad hæcceitatem?

Videtur quod non 1. Quia prædicatum eſſentiale, dummodo ſit commune pluribus, ſolo numero, differentib⁹, quamvis non præſcindat à reſpectu ad hæcceitatem aliquam, (quale prædicatum eſt v. g. Vnio dicens reſpectum eſſentialem ad ſolum Petrum,) eſt prædicatum ſpecificum. Non enim eſt prædicatum genericum, cùm non ſit commune pluribus, ſpecie differentibus. Non etiam eſt prædicatum Proprii vel Accidentis, cùm ſit eſſentiale. Nec demùm eſt indiuiduale, cùm ſit commune pluribus. Vnde relinquitur tale prædicatum eſſe vel ſpeciem, vel differentiam ſpecificam. Ergò quæ differunt in tali prædicato, differunt ſpecie. Mala igitur eſt explicatio Differentiæ ſpecificæ, propoſita.

2. Et eſt confirmatio prioris. Sicut dicit Philoſophus: *Species ſunt ſicut numeri:* Ergò ſicut numeri differunt per additionem, vel detractionem quamcunq; minimam, ita & ſpecies differunt per additionem cujuſcunq; prædicati eſſentialis, quamvis involventis formaliter in ſua diſſimilitudine reſpectum ad hæcceitatem alicujus connotati.

3. Circulus ferreus, & circulus aureus non differunt ſpecie, ut docet Philoſophus: item furtum veſtis & furtum equi, ut docent Caſiſtæ; & tamen iſta ſunt diſſimilia in prædicatis eſſentialibus, independenter ab omni hæcceitate: Ergo &c.

4. Calor intenſus ut 8, non differt ſpecie à calore ut 2; & tamen ſunt ambo diſſimiles, præſcindendo ab omni hæcceitate, & connotatione hæcceitatis. Idem dic de quantitate bipalmari comparatâ cum quantitate palmari. Idem de cognitione expreſſiva duorum hominum, comparatâ cum cognitione expreſſiva vnius hominis. Ergò non benè explicatur Differentia ſpecifica modo dicto.

§ I. *Reſpondetur.* Hæc quæſtio ab Antiquioribus non ſatis fuit examinata. Dicebant enim communiter, illa differre ſpecie, quæ differunt in prædicato eſſentiali communi pluribus individuis, juxta vulgarem definitionem Speciei, traditam à Porphyrio. Verùm hoc non poteſt dici ſine aliqua limitatione. Nam unio, quæ datur inter corpus & animam Petri, non differt ſpecie ab unione, quæ datur inter corpus & animam Pauli, (aliàs Petrus & Paulus includendo in ſuo conceptu uniones, ſpecie diverſas, non poſſent non differre ſpecie: imò ipſas animas haberent ſpecie diverſas, utpote, quæ eſſent principia unionum ſpecie diverſarum:) & tamen unio Petri ab unione Pauli differt in prædicato ſuo eſſentiali, nempe in hoc, *Eſſe alligatam eſſentialiter corpori & animæ Petri*, quod prædicatum eſt commune multis Vnionibus poſſibilibus inter corpus & animam ejuſdem Petri. Idem dic de Vbicatione Petri in hoc loco; Duratione in hoc tempore;

Reijciuntur variæ explicationes differentiæ ſpecificæ.

Pro-

Productione hujus effectùs, ſi comparentur cum alia Vbicatione Pauli in eodem loco; cum alia Duratione in eodem tempore, cum alia Productione ejuſdem effectùs. Immo ipſa natura Petri habet hoc prædicatum eſſentiale, quod ſit *Humanitas non identificabilis Paulo*, quod ipſi eſt commune cum natura Ioannis &c. &c. per quod prædicatum differt à natura Pauli; & tamen natura Petri non differt ſpecie à natura Pauli.

§ II. Propterea Thomiſtæ communiter doceꝛe ſolent, illam eſſe Differentiam ſpecificam, quæ ſe tenet ex parte formæ; numericam verò quæ ſe tenet ex parte materiæ, ideoq; ajunt, primam vocari formalem, ſecundam verò materialem: atq; ita Hominem & Leonem differre ſpecie, quia differunt per formas, ſcilicet per animas; Polonum verò & Æthiopem differre ſolo numero, quia differunt in accidentibus conſequentibus extenſionem materiæ. Sed *Contra* 1. Parva aqua & magna differunt ſolo numero; & tamen non apparet, cur hæc diverſitas proveniat potiùs ex parte materiæ, quàm ex parte formæ; ſiquidem iſta ſicut differunt penes plùs & minùs materiæ, ita etiam penes plùs & minùs formæ; nec eſt ratio cur ibi detur plùs & minùs formæ, propter informandum plùs & minùs materiæ, quàm è converſo detur minùs & plùs materiæ ad ſuſtentandum plùs & minùs formæ: tam enim forma ad materiam, quàm materia ad formam ordinatur. *Contra* 2. Duæ viſiones unius albedinis differunt ſolo numero; & tamen non ex parte materiæ, ſi in eodem ſubjecto recipiantur: è contra viſio quâ homo videt album, & viſio quâ homo videt nigrum, differunt ſpecie non minùs, quàm ipſum album & nigrum; & ta- *Differentia Numerica quomodo ſumatur à materia?*

men non differunt ex parte formæ: ambæ enim procedunt ab anima rationali. Quando ergo dicitur: *Materia eſſe principium individuationis*, hoc proverbium ita eſt intelligendum, quod individuatio, non ſecundùm ſe, ſed ut diſcernibilis à nobis, naturaliter proveniat à materia, in ſubſtantiis corporalibus, quatenùs ſcilicet materia, ratione ſuæ quantitatis, extenſa, dum in diverſis locis exponitur diverſis circumſtantiis & cauſis extrinſecis, accipit ab illis, diverſa accidentia, ratione quorum diſcernimus individua ſub una ſpecie corporali. Quanquam poſſet dici, quòd eadem individuatio etiam in ſubſtantiis ſpiritualibus proveniat mediatè vel immediatè à materia per deſignationem ſubſtantiarum ſpiritualium ad diverſa corpora, ſive regenda, ſive informanda. Cæterùm unumquodq; ens ſicut per ſeipſum totum, eſt unum ſeu indiviſum in ſe, & diviſum à quolibet alio: ita etiam per ſeipſum totum, eſt individuum.

§ III. D. Bonaventura in 2. exiſtimat illa differre ſpecie, quæ differunt in prædicato præcipuo & nobiliſſimo, concluditque Angelos non differre ſpecie, quia non differunt in ratione Intellectivi, quod eſt in ipſis præcipuum. Quam explicationem ſequitur etiam Car. Sfortia lib. 7. de Pænit. c 7. n. 81. Verum licet in unoquoq; Differentia ſpecifica ſit prædicatum præcipuum in hoc ſenſu, quod velut forma metaphyſica complet & determinat genus, tanquam materiam: non tamen debet eſſe ita præcipuum, ut ſemper plùs perfectionis ſecundùm ſe importet, quàm genus. Certè enim eſſe ſenſitivum, quod eſt prædicatum genericum, eſt perfectius in brutis, quàm eſſe rugibile, hinnibile, &c. quæ ſunt præ-

prædicata differentialia ſpecifica; ita ſicut ſecundum S. Bonaventuram eſſe Intellectivum eſt perfectius, quàm eſſe tale intellectivum, & tamen ſenſitivum non eſt differentia in brutis. Deinde ſint duæ cognitiones, quarum una indiviſibiliter feratur in Deum & leonem, altera in Deum & muſcam; hæ cognitiones different ſpecie, ſicut differunt objecta ipſarum partialia, leo, & muſca; & tamen ambæ convenient in expreſſione Dei, quod eſt in ipſis prædicatum nobiliſſimum. Tandem longe faciliùs eſt cognoſcere, duo aliqua differre ſpecie, quàm cognoſcere prædicatum nobiliſſimum, in quo differunt; ad hoc enim requiritur cognitio comparativa omnium prædicatorum utriusq; extremi; unde explicare differentiam ſpecificam per differentiam in prædicato nobiliſſimo, eſt explicare magis notum per minùs notum.

Differentia ſpecifica an ſit prædicatū rei, præcipuum?

§ IV. Hinc etiam reiicitur explicatio Hurtadi Diſp. 2. de Anima, S. 6. & 7. dicentis: illa differre ſpecie, quæ ſunt inæqualia in perfectione entitativa. Licet enim convertibilis ſit inæqualitas in perfectione cum Differentia ſpecifica, ut mox dicetur; tamen inter quædam, evidens eſt Differentia ſpecifica v. g. inter colorem rubeum & viridem, de quibus tamen poteſt dubitari, an ſint inæqualia in perfectione, ob defectum notitiæ comparativæ utriusq; extremi quoad omnia prædicata. Male autem explicatur id, quod eſt evidens, per id, quod eſt dubium.

§ V. Recentiores ergo communiter, Arriaga diſp. 1. Anim: S. 7. Ouiedo ibidem Controu. 1. punc. 8. ſecuti Cardinalem de Lugo, docent: illa differre ſpecie, quæ differunt in prædicatis eſſentialibus, judicio prudentum, notabiliter diſſimilibus.

bus. Verum iſti etiam non ſatis philoſophicè rem explicant. Cùm enim, ut ſapienter ait Car. Sfortia lib. 7. de Pænit: c. 34. Magiſtri ſcientiarum, ſint illi prudentes qui debent judicare, quando, & quanta ſit diſſimilitudo, ut attingat ad Differentiam ſpecificam; ipſi per ſuum judicium debent id declarare, ut ita ſuos diſcipulos efficiant prudentes in ordine ad judicandum de Differentiis ſpecificis rerum. Deinde ſi in dirimenda controverſia de Differentia ſpecifica alicujus rei ſtandum eſt judicio prudentum; quoties in diſputationibus philoſophicis appellandum erit ad concilium generale prudentum, aut eorum apophtegmata! Qui ſi adhuc ſecum non convenerint, ut ſæpe accidit, quis vincet diſputantium? Præterea iſti prudentes, quando judicant figuram rotundam differre notabiliter ab ovali; vel habent fundamentum hujus judicii? vel non habent? ſi non habent; quomodo prudenter judicant? ſi habent, hoc fundamentum potiùs eſt aſſignandum pro explicanda differentia ſpecifica. Addo, quod iſta doctrina ſaltem in numeris fallit, in quibus non tantùm notabilis, ſed minima etiam in unitate indiviſibili, diſſimilitudo, inducit Differentiam ſpecificam.

Differre notabiliter an ſit differre ſpecie?

§ VI. Dicendum potiùs eſt: Differre ſpecie propriè, & philoſophicè, eſt duo eſſe diſſimilia in aliquo prædicato eſſentiali, præſcindendo ab omnibus hæcceitatibus, non ſolùm illorum, quæ differunt, ſed etiam cauſarum, circumſtantiarum loci, temporis &c. ad quæ dicunt reſpectum, illa, quæ differunt. E contrà verò illa, differunt ſolo numero, quæ in ſua diſſimilitudine includunt aliquam hæcceitatem ſaltem ſui connotati. Ex: grat: Viſio, qua Bucephalus videt albedinem A.

differt ſpecie à viſione, quâ Petrus videt eandem albedinem; quia, ſi præſcindamus utramq; viſionem ad hæcceitatibus ipſarum, necnon ab hæcceitatibus videntium, & objectorum viſorum, adhuc remanebit in utraq; viſione prædicatum eſſentiale diſſimile, nempe in una, dependentia ab homine, in altera, dependentia ab equo. At viſio quâ Petrus videt albedinem A, & viſio qua Paulus videt albedinem B. non differunt ſpecie, quia ablatis hæcceitatibus tam ex parte videntium, quàm albedinum, & viſionum, remanebunt prædicata utriusq; viſionis omninò ſimilia & indiſcernibilia. Ratio hujus doctrinæ eſt. Quia cùm de qualibet ſpecie poſſit dari per ſe definitio, & ex definitione demonſtratio, & ex demonſtratione ſcientia, primùm actualis, deinde ex repetita actuali, habitualis; ſequitur quòd quælibet ſpecies ſit illa ſpecioſitas ſeu pulchritudo Vniverſi, quæ per ſe eſt contemplabilis ab intellectu humano in ſcientiis, & conſequenter illa differunt ſpecie, quæ differunt in prædicato eſſentiali, per ſe conſiderabili à ſcientiis. Porrò hujuſmodi prædicatum eſt illud ſolùm Eſſe, quod præſcindit ab hic, & nunc, & omnibus prorſus hæcceitatibus etiam connotatorum. Cujus rei ratio eſt: Tum quia hæcceitates ſub unaquâque ſpecie ſunt infinitæ, & conſequenter impertranſibiles ab intellectu finito: Tum quia ſunt æquales in perfectione, ac proinde in conſideratione ſcientifica contemptibiles: Tum quia ſunt humano intellectui impenetrabiles & occultæ: unde fit ut intellectus humanus in ſcientiis, omnem diſſimilitudinem provenientem ex ſolis hæcceitatibus, pro nihilo reputet, perinde acſi non eſſet; quâ de cauſâ etiam differentia individualis

ve-

vocatur materialis, id eſt contemptibilis à ſcientiis; cùm è contra differentia ſpecifica, vocetur formalis, id eſt ſubſtans formali præciſioni intellectûs. Patet igitur illa differre ſpecie, quæ ſunt diſſimilia independenter ab ulla hæcceitate, & reſpectu ad hæcceitatem aliquam.

§ VII. Reſtat adhuc inquirere: An talis diſſimilitudo ſpecifica poſſit haberi formaliter per prædicatum purè negativum. v. g. An ſub genere Animalis poſſint dari duæ ſpecies, quarum una differat ab alia per hoc, quòd præter animalitatem includat rationalitatem, cùm altera ſit purum animal, non includens rationalitatem. Ad hoc quæſitum, cum Card: Sfortia lib. 3. de Fide cap. 9. reſpondetur negativè, juxta ea, quæ innui diſ. præcedenti q. 4. § 4. Ratio eſt. Quia quælibet ſpecies quà talis, & quatenùs diſtincta ab alia ſpecie, eſt appetibilis à ſuâ causâ, à quâ producitur; ipſa quin etiam appetit naturaliter ſuum eſſe, per quod ultimò eſt, & ſimiliter omnis ſpecies, quà talis, eſt participatio Divini eſſe, licet defectuoſa, oſtendens bonitatem, & ſapientiam Cauſæ primæ. Ergo ſpecies quælibet ſecundùm ſuam differentiam ſpecificam, per quam conſtituitur in ratione talis ſpeciei diſtinctæ à quavis alia ſpecie, dicit aliquam bonitatem & perfectionem, ac proinde dicit aliquod eſſe; cùm omne appetibile, præſertim appetitu innato, (qui non dirigitur errore,) & omnis participatio Divini eſſe, ſit formaliter perfectio. Hinc (ut nonnihil percurram illa exempla, quæ obiici ſolent) etiam minor numerus habet aliquam perfectionem, quamvis miſtam cum imperfectione, per quam differt à numero majori, ſcilicet habet hoc, quòd magis accedat ad ſimplici-

Species nō poſſūt differre in prædicato purè negativo.

cita-

citatem Divinam : idemq; dicendum de ubicatione minori comparatâ cum majori. Similiter cognitio auri tantùm, à cognitione auri ſimul & cæli differt per hanc perfectionem miſtam imperfectioni, quòd non dependeat à ſpeciebus repræſentativis cæli, & ſic magis accedat ad Divinam Aſeitatem. Nec verùm eſt, quòd aliqui dicunt, ab Angelo ſuperiori poſſe cognoſci, amari, & effici, quidquid poteſt ab Angelo inferiori, & inſuper aliquid plus. Hinc enim ſequeretur non eſſe locum mutuæ communicationi bonorum propriorum inter Angelum inferiorem & ſuperiorem: ac proinde nec eſſe locum connaturali ſocietati, quæ non poteſt eſſe, ubi non poteſt eſſe permutatio bonorum ut docetur 5. Ethic..

§ VIII. Quæritur adhuc: An prædictam diſſimilitudinem ſpecificam ſequatur ex natura rei inæqualitas perfectionis? Negant Arriaga, Ouiedo, Comptonus, in lib. de Anima, Averſa q. 11. Log. ſect. 5. Pontius d. 6. Log. q. 3. & communiter R. R. Sed oppoſitum probabiliùs docet citatus ſuprà Hurtadus, cum Suario d. 29. m. ſ. 3. Vaſquez tomo 2. in 1. par. Antonius Perez in 1. partem ſemel atq; iterum. S. verò Thomas 3. contra Gen. c. 97. dicit: *hoc eſſe evidens ſpeculanti naturas rerum*. Et quidem ita defacto eſſe, patet in gradibus entium à nobis manifeſtiùs diſcernibilibus, qui ſemper inæqualiter elevantur ſupra nihilum, & inæqualiter accedunt ad ſummi boni perfectionem. Atq; ita ſupra nihilum ſenſim aſcendunt, primò gradus accidentium, deinde corporum inanimatorum, tum plantarum, deinde brutorum, demum ſubſtantiarum intellectualium. Rurſus in his gradibus patet, *Quæ differunt ſpecie ſunt inæqualia in perfectione.*

quòd

quòd ſuprema ſpecies inferioris gradûs, parùm diſtet ab infima ſpecie, ſuperioris gradûs. Et ita homo, ex ordine ſubſtantiarum intellectualium infima ſpecies, parùm differt à bruto illo, quod eſt ſuprema ſpecies ex ordine animalium irrationalium; ſic etiam Zoophyta ex ordine animalium ſunt proxima plantis; ſic materia prima, quæ eſt infima in ordine corporis, parùm diſtat à quantitate, quæ eſt in gradu accidentis &c &c. Idem autem dici debet de ſpeciebus ſingulis contentis in quolibet gradu, comparatis inter ſe; licèt inæqualitas aliquarum in perfectione, non ſit ita à nobis diſcernibilis, eò quòd non habeant tantam diſtantiam inter ſe. Ex illis enim, quæ ſunt nobis magis nota, judicium ferendum de minùs notis. Ratio à priori eſt: quia cùm omnis perfectio eſſentialiter ſit receſſus à nihilo, & acceſſus ad DEUM per aliquam ſimilitudinem ipſi⁹, cùmq; duæ ſpecies diverſimodè recedant à nihilo & accedant ad DEUM; non poſſunt duæ ſpecies diverſæ recedere diverſimodè à nihilo, & diverſimodè accedere ad DEUM, quin inæqualiter recedant à nihilo, & inæqualiter accedant ad DEUM, id eſt, quin inæqualiter ſint perfectæ. Cujus ratio ulterior eſt: Tum quia implicat duo per lineam rectam recedere à termino *A quo*, & accedere diverſimodè ad terminum *Ad quem*, (per qualem lineam utpote breviſſimam, natura uti operatur, ita accedit ad DEUM,) cum æquali acceſſu utriusq; ad terminum *Ad quem*: Tum quia non poſſunt dari diverſæ ſimilitudines ſeu imagines unius indiviſibilis exemplaris, (quale exemplar expreſſum per duas ſpecies, eſt Divina bonitas,) quin illæ ſimilitudines & imagines inæqualiter exprimant ſuum exemplar, ideòq; magis ac minùs perfectè.

Quid ſit perfectio?

§ IX.

§ IX. Quæri demùm poſſet: An differentia ultima ſpecifica poſſit componi ex duobus generibus non ſubordinatis? *Reſpondetur affirmativè,* ut videtur docere Philoſophus 2. poſter. c. 14. Et ita actus voluntatis jejunandi, poteſt ultimò conſtitui per dependentiam à motivo obedientiæ, & per dependentiam à motivo temperantiæ. Intellectus etiam ſecundùm ultimam differentiam ſuam, componitur ex cognoſcitivo, per quod differt à voluntate, & ex ſpirituali, per quod differt ab imaginativa. Idem dicendum de habitu Practico ſpeculativo. Potiſſimum autem id apparet in quibuſdam entibus creatis, ſecundùm ultimam ſuam differentiam, miſtis, ex abſoluto & relativo tranſcendentali; eò quòd talia entia ex natura ſua, ſint primariò inſtituta & propter ſe, & propter aliud; quo pacto componitur differẽtia ultima creaturæ, ex relatione ad DEUM; accidentis, ex relatione ad ſubſtantiam; materiæ, ex relatione ad formam; actùs, ex relatione ad objectum, ut maximè videre eſt in cognitione cœli, reflectente, ſe ſupra ſe, quæ utiq; partialiter eſt ad ſe, & partialiter ad aliud. Neq; in hoc eſt ulla repugnantia, quam multo conatu oſtendere laborat Smiglecius noſter Diſp. 10. Log. q. 8. docens operoſè, nullas Relationes Tranſcendentales poſſe eſſe primò eſſentiales rebus abſolutis. Sed non efficaciter. Cùm enim non omninò abſolutum, & non omninò relativum non ſint contraria: ideò componi ex iſtis, non eſt componi ex contrariis, ſicut nec analoga ſecundùm ſuam differentiam componuntur ex contrariis, cùm componuntur ex ratione nec omninò eadem, nec omninò diverſâ; quod etiam omnes dicunt de crepuſculo compoſito ex imperfectè lucido,

Poteſt ultima differẽtia cõponi ex duob⁹ generib⁹ non ſubordinatis.

Aliquæ Relationes tranſcendentales ſunt primò eſſentiales rebus abſolutis

& imperfectè tenebroſo. Rurſus cùm hujuſmodi entia non ſint complete abſoluta, nec complete, ſeu pure relativa; dum componuntur ex relativo & abſoluto, componuntur quidem ex duobus generibus non ſubordinatis, ſed partialibus, ac unam totalem differentiam conſtituentibus; non autem componuntur ex generibus adæquatis, quod ſolùm negat Philoſophus. Quòd verò paſſim dicitur: *Abſolutum eſſe prius relativo*, intelligi debet, vel de abſoluto, quà abſolutum eſt ex ſua ratione generica, ſub qua includit etiam DEUM, qui eſt ſummè abſolutus, non autem de tali in particulari abſoluto: vel intelligi debet de relativo prædicamentali. Unde Auguſtinus utitur hoc axiomate contra Arrianos, quia agit de relationibus divinis participantibus aliquid de relatione prædicamentali, ideóq; ibi adhibet exempla relationum prædicamentalium; Patris, Domini. Et per hæc manet explicata differentia ſpecifica.

Ad 1. Unio phyſica quæ eſt in Petro, (idem dic de ſimilibus,) nec eſt prædicatum individuale, quia poteſt prædicari de multis unionibus poſſibilibus inter corpus & animam Petri; nec ſpecificum, quia non prædicatur de omnibus individuis indiſcernibilibus in conſideratione ſcientifica, puta de unione Pauli, Andreæ, &c. ſed eſt prædicatum medium inter ſpecificum & individuale. Quia verò tale prædicatum non conducit per ſe ad uſum ſcientiarum, eò quòd non præſcindat ab omni hæcceitate; ideò Logica reſpiciens ad ſcientias, tanquam ipſarum inſtrumentum, tali prædicato non aſſignavit locum in diviſione prædicabilium.

Ad 2. Philoſophus qui dicit, *Species eſſe ſicut*

nume-

numeros, dicit etiam: *Plùs & minùs non variant ſpeciem.* Hoc ergò ſolum vult in priori effato, quod ſicut per unitatem numeri, ita per quodvis indiviſibile prædicatum, dum modò ſit conſiderabile per ſe à ſcientiis, varientur ſpecies.

Ad 3. Quæ differunt ſpecie ſimpliciter, & in conſideratione Philoſophica, attendente præciſè in rebus ad prædicatum per ſe conſiderabile in ſcientiis, hocq; vocante ſpecioſitatem, poſſunt nihilominùs non differre ſpecie ſecundum quid, & in conſideratione alicujus particularis ſcientiæ, unicè attendentis ad aliquem finem ſuum particularem, illudq; ſolùm prædicatum vocantis ſpecioſitatem, quod proximè conducit ad talem finem particularem. Et ita circulus ferreus, & aureus, in conſideratione mathematica attendente ad ſolam figuram, non differunt ſpecie: Et ſimiliter duo furta gravia diverſarum rerum, non differunt ſpecie in conſideratione morali, ſolùm attendente ad læſionem juris alieni. Differunt tamen hujuſmodi ſpecie ſimpliciter, & & philoſophicè, de qua differentia hic agitur.

Ad 4. Negatur Antecedens quoad ſecundam partem. In objectis enim exemplis tota diſſimilitudo unius ab alio conſiſtit, quòd unum importet conjunctionem phyſicam vel metaphyſicam cum pluribus hæcceitatibus, aut reſpectum ad plures hæcceitates, v. g. intantùm calor ut 8. eſt diſſimilis calori ut 2. (ſuppono gradus intenſionis eſſe homogeneos,) quia calor ut 8. ſupra duos gradus caloris, includit 6. alios, ſolis hæcceitatibus, differentes: ſimiliter cognitio de duobus hominibus, à cognitione de uno homine, per hoc ſolùm differt, quia prior dicit ordinem ad duas hæcceitates, ſecunda ad unam. Et ſic adhuc

hujuſmodi in ſua differentia numerica non præſcindunt ab omni hæcceitate.

QVÆSTIO IV.

Vtrùm detur Diſtinctio realis Modalis?

VIdetur quod non 1. quia Ens ut ſic adæquatè dividitur in reale, & rationis, nec datur inter hæc medium: Ergo & Diſtinctio ut ſic, quæ ſequitur rationem entis, tanquam proprietas, adæquatè dividitur in Diſtinctionem realem, & rationis, nec datur Diſtinctio media, qualis eſſet iſta modalis.

2. Non dantur Modi: Ergò nec Diſtinctio modalis, quæ intercedit inter rem & modum rei. Probatur Antecedens: quia cùm *Vnumquodque ſit propter ſuam operationem*, ut dicitur 1. cœli; non poteſt dari aliquid non operativum; modus autem non eſt principium ullius operationis; alioquin eſſet indifferens ad operandum, indigeretq; ulteriori determinatione, & ſic non eſſet ultima determinatio rei indifferentis, quæ tamen eſt definitio modi.

3. Si darentur entitates modales Vnionis, Actionis &c. diſtinctæ à parte rei ab extremis, ſequeretur, quòd materia non immediatè uniretur formæ, adeoq; ſemper per accidens uniretur; ſimiliterq; nullum daretur Agens immediatè productivum effectus; ſemper enim mediaret modalitas ibi Vnionis, hic Actionis. Sequela autem eſt abſurda, & contra Philoſophum.

4. Modi inventi ſunt ad tollendam indifferentiam Extremorum unibilium,ut uniantur; Agentis ut agat; Corporis, ut ſit in hoc loco &c. Ad hoc autem non ſunt neceſſarii: quia cauſa v. g. ſaltem neceſſaria, poſitis omnibus requiſitis ad

cauſandum ſuum effectum, non eſt amplius indifferens ut cauſet vel non cauſet ipſum, & per hoc diſtinguitur à cauſa liberâ. Et quamvis poſſit etiam cauſa neceſſaria de potentia abſoluta impediri à prodnctione ſui effectûs, v. g. ignis à productione caloris; tamen ſuppoſito Decreto Dei volente ut producat ſuum effectum hic & nunc; (quod Decretum eſt inter requiſita ad cauſandum ex parte actûs primi,) eo ipſo cauſa producit inimpedibiliter, & quidem hunc determinate effectum; Ergo indifferentia cauſæ ad cauſandum, ſaltem neceſſariæ, ſufficienter tollitur per omnia requiſita ex parte actûs primi, inter quæ, eſt Decretum Dei, ſine ulla modalitate tenente ſe, ex parte actus ſecundi. Eadem autem eſt proportionaliter ratio de aliis rebus indifferentibus creatis.

5. Admiſſis modis, reſtringitur Dominium Dei & Omnipotentia. Si enim Actio, v. g. illuminatio, eſt modus eſſentialiter affixus huic ſoli illuminanti ſimul cum Deo, tanquam cum cauſa prima, necnon huic luci, quæ producitur, & ut eſt paſſio, etiam huic aëri, in quo lux producitur; non poterit Deus per hanc illuminationem ſolus ſine ſole illuminare, nec poterit per hanc illuminationem, aliam numero lucem producere, vel in alio ſubjecto. Hæc autem repugnant dominio & potentiæ Dei. cui omnis creatura debet eſſe ſubjecta, ut illa uti poſſit ad producendum, quidquid voluerit, & ubi voluerit, ſive per ſe ſolum, ſive cum cauſa ſecunda; præſertim cùm Deus, utpote virtutis infinitæ, totum id poſſit facere ſe ſolo, quod poteſt cum cauſa ſecunda. Repugnant igitur entitates modales tanquam perfecto dominio Dei, & omnipotentiæ ejus repugnantes.

6. Relatio Prædicamentalis v. g. Paternitas, non eſt modaliter diſtincta à fundamento & termino: Ergo nec Vnio à materia & forma, nec Actio ab agente & effectu &c. Sicut enim eadem ſubſtantia ſecundùm ſe indifferens, ut denominetur Pater, poſito aliquo connotato extrinſeco, puta termino, nempe filio, denominatur Pater ſine modalitate, quæ ſit Paternitas: ita materia & forma ſecundùm ſe indifferentes ut uniantur actu, poſito aliquo extrinſeco connotato, ultimò determinante ad eſſe uniti, poſſunt dici unita, ſine modalitate, quæ ſit unio, & ſic de aliis.

§ I. *Reſpondetur.* Modus latiſſimè ſumptus ex Auguſtino eſt *Quem menſura præfigit*, ſignificatq; limitationem ac determinationem propriam entis finiti, prædicabilem etiam de accidentibus abſolutis, v. g. de albedine, calore &c, quæ, quatenùs limitant ac determinant ſubſtantiam, dicuntur modi ipſius in latiori ſignificatione. Iam tamen uſus in ſcholis obtinuit, ut nomen modi attribuatur cuidam entitati ſive ſubſtantiali, ſive accidentali, habenti quidem propriam ac peculiarem ſuam eſſentiam ac exiſtentiam, ſed eſſentialiter reſpectivam, & affixam alteri enti, à quo ſeparari nequeat etiam divinitùs ad permanentiam. Solet verò ſic definiri: *Eſt ultima determinatio phyſica, actualis, rei indifferentis.* Ex eo, quòd ſit *phyſica determinatio*, debet eſſe entitas prout ens opponitur nihilo, & chimeræ. Et cùm à parte rei poſſit abeſſe & adeſſe rei, quam phyſicè determinat, debet habere propriam eſſentiam ac exiſtentiam, non idẽtificatam realiter rei indifferenti, aliàs non poſſet advenire nemine cogitante rei indifferenti, nec hac remanente perire, ..

Quid ſit modus?

nihil

nihil enim à parte rei advenit ſibiipſi, aut perit ſeipſo manente. Ex eo verò quod ſit *Vltima determinatio*, debet per ſuam eſſentiam immediatè determinare ad id, ad quod determinat, non verò per aliam ſuperadditam ſibi, in eodem genere determinationis determinationem; alias non eſſet ultima determinatio, & procederetur in infinitum in determinationibus. Tandem ex eo quòd ſit *actualis determinatio*, (intellige ex ſuppoſitione quod exiſtat,) debet modus eſſentialiter eſſe alligatus his numero rebus indifferentibus, quarum eſt modus; ita, ut neq; de potentia abſoluta poſſit exiſtere illis, vel illarum aliquâ re, non exiſtentibus, licet ipſæ res indifferentes hæ numero poſſint exiſtere, non exiſtente hoc numero modo: alioquin modus eſſet determinatio tantùm in potentia rei indifferentis.

§ II. Sic explicata Entitas modalis fundat Diſtinctionem modalem, quæ intercedit inter rem indifferentem & modum ipſius. Hæç autem Diſtinctio non eſt minor in ratione Diſtinctionis, quàm ſit realis abſoluta, quin eſt plerumq; major, ſicut magis diſtant in perfectione res & modus ejus, utpote ſolùm in ratione entis convenientes, quàm diſtent duæ res abſolutæ, v. g. Petrus & Paulus, convenientes in proximo genere, inter quos tamen datur Diſtinctio realis abſoluta. Dicitur tamen Diſtinctio modalis eſſe minor, quam realis abſoluta, ob negationem mutuæ ſeparabilitatis extremorum ad permanentiam, quæ mutua ſeparabilitas conjungitur cum Diſtinctione reali abſoluta, non autem cum modali. Eadem verò ſeparabilitas non mutua ad permanentiam extremorum, cùm ſit nobis notior, ſtatuitur communiter ſignum Diſtinctionis

Diſtinctio modalis ubi detur, & an ſit minor reali abſoluta?

Quod ſignum ipſi

nis modalis, dummodò non oriatur titulo inadæquatæ identitatis inter extrema, (qualis ſeparatio non mutua eſt inter partem & totum;) aut titulo immenſitatis vel æternitatis unius extremi, (quâ de causâ creatura eſt inſeparabilis non mutuò à Deo;) ſed oriatur titulo determinationis actualis rei indifferentis. Hinc communiter docetur unam modalitatem ab aliâ, v.g. Ubicationem meam ab Actione mea, non modaliter, ſed realiter ſimpliciter diſtingui; ſunt enim mutuò ad permanentiam à ſeipſis ſeparabiles: cùm poſſim exercere alibi hanc actionem, quàm hic exerceo, & poſſim eſſe hic, non exercendo hanc actionem.

Modus à Modo quomodo diſtinguitur?

§ III. His ita conſtitutis, dari Modos ſic explicatos, ac Diſtinctionem modalem, docent jam omnes communiter Societatis noſtræ in Hiſpaniâ, Italiâ, Germaniâ Univerſitates, duce Suario d. 13. & 16. met. Probatur verò hoc imprimis efficaciter in Vnione eſſentiali materiæ & formæ, & proportionaliter in Vnione continuativa partium continui, hoc modo. Impoſſibile eſt in creatis, ut id, quod eſt à parte rei indifferens ad aliquid, identificetur realiter cum ultima eſſentiali determinatione actuali ad idem. Patet enim indifferentiam, & ultimam actualem determinationem ad idem, eſſe contradictoria realia ſaltem arguitivè, ac proinde non poſſe convenire eidem realiter, ſaltem ſine reali in tertio diſtinctione, quæ in creatis locum non habet, ut ſupra habitum eſt. Quidquid ſit, an in Divinis, beneficio diſtinctionis realis in tertio, poſſit eadem Eſſentia Dei eſſe indifferens ad aliquid volendum determinatè extra ſe, & ſimul per ſeipſam realiter eſſe ultima determinatio ad idem vo-

Probatur in unione dari entitas modalis intrinſeca in denominatione uniti.

volendum, eò quòd ab hac ultima determinatione diſtinguatur realiter in tertio, id eſt in oppoſita determinatione poſſibili. Conſtat autem materiam & formam non ſolùm ſecundùm ſe, ſpectatas, ſed etiam ſecundùm omnes diſpoſitiones & conditiones intimæ præſentiæ, coëxiſtentiæ &c. eſſe indifferentes ultimò, ut ſe ſibi intrinſecè communicent actu, in ordine ad conſtituendum totum eſſentiale phyſicum. Nam ſaltem de potentia Dei abſoluta poteſt impediri talis actualis communicatio. Quæ enim in hoc implicantia? E contra verò, Vnio actualis eſſentialis phyſica, eſt ultima actualis determinatio ad hoc, ut materia & forma ſe ſibi intrinſecè actu communicent inimpedibiliter, ad conſtituendum compoſitum phyſicum; eſt enim ipſa formalis communicatio actualis intrinſeca extremorum. Ergo conſtat non poſſe à parte rei identificari unionem actualem eſſentialem phyſicam cum materiâ & formâ, etiam ſumptis cum omnibus diſpoſitionib⁹, & requiſitis, ſed potius diſtingui à materia & formâ ſic ſumptis, tanquam ultimam actualem determinationem rerum indifferentium, ac proinde inſeparabilem ad permanentiam ab ipſis, ſeparabilibus ab unione actuali, id eſt diſtingui realiter modaliter, juxta notionem Diſtinctionis Modalis præmiſſam.

§ IV. Huic argumento, tum in hac, tum in aliis materiis ſimilibus, ſolent reſpondere Nominales: Materiam & formam non eſſe indifferentes ad denominationem uniti phyſicè, ſi ſumantur quatenùs exercent rationem actûs & potentiæ, ſeu quatenùs ſumuntur non ineſſe ſibi, & in ſe, ſed ineſſe alteri, ſeu quatenùs unum recipit actu, alterum informat, ſicq; alios & alios mo-

dos loquendi multiplicant. Sed contra. Quia Tò *Exercere rationem actûs & potentiæ,* Tò *Recipere actu formam & informare materiam,* & ſimilia, ſignificant rę ipſâ, determinationem ultimam actualem ad eſſe uniti; ſiquidem poſito ſignificato harum vocum, eo ipſo, materia formaliter unitur actu formæ, & forma materiæ; Ergo cùm dicitur materiam & formam non eſſe indifferentes à parte rei ad eſſe uniti, quatenùs exercent rationem actûs & potentiæ &c. reipsâ dicitur non eſſe indifferentes, quatenus habent ultimam determinationem actualem ad eſſe uniti; perinde acſi quis contendenti Subſtantiam eſſe indifferentem ad eſſe albi, ideoq; albedinem diſtingui realiter à ſubſtantia, reſponderet; non eſſe indifferentem, quatenùs eſt diſgregativa visûs, ac proinde albedinem à ſubſtantia non diſtingui realiter. Hoc autem eſt petitio principii. Redit enim argumentum contra hoc ipſum, quod datur pro ſolutione. Deinde iſtæ novæ voces, quæ à Nominalibus adduntur materiæ & formæ diſpoſitis & ſufficienter applicatis, vel ſignificant objectum ratione noſtrâ? vel objectum à parte rei, à materia & formâ ſic ſumptis, diſtinctum? Si primum. Ergò cum materia & forma etiam cum diſpoſitionibus & requiſitis, ſint indifferentes à parte rei ad objectum harum vocum, erunt utiq; à parte rei indifferentes ad id, quod eſt ab ipſis ratione noſtrâ diſtinctum, id eſt, ad ſeipſas, realiter loquendò. Si ſecundùm; habeo intentum; hòc enim eſt ultima determinatio actualis ad eſſe unitum.

§ V. Propterea Quidam in hac provincia Polona R. R. ſecuti P. Laurentium Pikarski, admittunt in Vnione materiæ cum forma, & pro-

portionaliter in Vnione Hypoſtatica Verbi cum natura humana, Entitatem modalem determinativam ad eſſe uniti, non tamen tanquam aliquid intrinſecum in denominatione Vniti, ſed tanquam accidentale extrinſecum connotatum & conditionem ſine qua non, vel diſpoſitionem præviam. Verùm hoc ex dicendis infra de intrinſeco conſtitutivo ſic impugnatur. Poſitis omnibus ſimul ſumptis conſtitutivis intrinſecis uniti, etiamſi cætera deſint, ponitur eo ipſo neceſſariò unitum, quod adæquatè identificatur omnibus & ſolis intrinſecis ſuis conſtitutivis; alioquin idem ſine ſeipſo poneretur, quod univerſaliter repugnat. At poſitis materiâ, formâ, & omnibus aliis ſimul ſumptis, præter entitatem modalem determinativam ultimò ad eſſe uniti, non ponitur hoc ipſo neceſſariò unitum. Ergò materia, forma, & omnia alia ſimul ſumpta, præter entitatem modalem determinativam ultimò ad eſſe uniti, non ſunt omnia intrinſeca ſimul ſumpta conſtitutiva uniti, ſed potiùs inter hæc ponenda eſt etiam iſta entitas modalis. Major meo judicio eſt evidenter probata. Minor eſt iſtorum Authorum, cum quibus agimus. Conſequentia eſt in Cameſtres. Deinde ſic argumentor. Per te Vnitum nihil aliud eſt intrinſecè, niſi materia & forma ſecundùm ſe: dum ergo dicis prærequiri entitatem modalem determinativam materiæ & formæ ad hoc, ut ſit unitum; ſenſus erit prærequiri entitatem modalem determinativam ad hoc, ut ſit materia & forma ſecundùm ſe, quod eſt falſum. Vel ſaltem ſenſus erit, prærequiri illam modalitatem, ut materia & forma exiſtant in circumſtantia ejuſdem modalitatis: Unde ſiquidem iſta modalitas non prærequire-

quiretur ad materiam & formam ſecundùm ſe præciſe, ſed ad aliquid plus, quod plus eſt ipſa entitas modalis; præ requiretur utiq; ad ſeipſam partialiter, eritq; connotatum extrinſecum ſuiipſius, quod eſt abſurdum. *Dicendum ergò potius eſt*: iſtam entitatem modalem, eſſe rationem formalem uniti, ac proinde in compoſito ſubſtantiali eſſe ſubſtantialem: nullum enim accidens poteſt conſtituere intrinſece unum per ſe.

Datur etiam in Actione

§. VI. De actione, eodem proportionaliter modo diſcurrendum eſt reſpectu agentis & effectus, niſi quod hæc modalitas ſit accidentalis, utriq; extremo ſuperaddita, (quando neceſſaria eſt ad tollendam indifferentiam,) utpote cùm ſit extra eſſentiam utriuſq; extremi. Nempe poteſt in multis, ſaltem de potentia abſoluta accidere, ut exiſtat hoc numero agens, v. g. hic Sol & hic numero Effectus v. g. Lux, cum debita applicatione ac diſpoſitionibus paſſi, & alijs requiſitis ex parte actûs primi; & tamen hic effectus non eo ipſo formaliter producatur ab hoc agente, immo producatur ab alio, puta à Deo ſolo, vel ab alia Cauſa ſecunda ad hoc elevatâ; nec producatur tali modo, ſed alio, puta non educatur de potentia ſubjecti, ſed creetur. Ergo ad tollendam hanc indifferentiam Agentis & Effectûs, plerumq; opus eſt modalitate accidentali, eſſentialiter alligata utriq; extremò, & determinativa ultimo hujus agentis, ut producat, ac hujus effectûs, ut producatur, ſeu dependeat ab hoc agente, utq; tali modo dependeat: & quidem opus eſt, non tanquam connotato extrinſeco, ſed tanquam ratione formali, à qua ſumatur formaliter denominatio producentis & producti, ſicut de modalitate determinativa ultimò ad Vnitum,

dice-

dicebamus. Probabile tamen eſt, quod actus vitales intelligendi, volendi &c. per ſeipſos eſſentialiter dependeant ab hoc, numero, agente, illiq; uniantur, ita ut ab alio dependere, aut alteri uniri, nec divinitus poſſint ac proinde ſint actio & unio ſui ſimulq; terminus actionis & unionis, ut in lib: de Anima probatum eſt.

§ VII. Eadem omnino eſt ratio de Vbicatione rei creatæ permanente, ob ſimilem indifferentiam Locati ad locum extrinſecum. Poteſt enim dari Petrus, & hic Locus extrinſecus; & tamen non dari à parte rei Præſentia Petri in hoc loco, ſeu non dari à parte rei Petrus & hic locus ſimul, poteſtq; Petrus non eſſe approximatus & conjunctus huic loco, ſeu non connotare à parte rei hunc locum ſeu non indiſtare ab hoc loco, & ſi qui adhuc ſunt alij modi loquendi, ad quos recurratur pro ſolutione: è contra verò, nec divinitùs poteſt dari Præſentia actualis Petri in hoc loco, ſeu correſpondentia, ſeu connotatio hujus loci, ſeu ſimultas Petri & hujus loci extrinſeci, ſeu indiſtantia, ſeu approximatio &c, ſine Petro & hoc loco extrinſeco; ne procedatur in infinitum in determinativis. Ergo Præſentia Petri actualis in hoc loco, ſeu correſpondentia, ſeu ſimultas, ſeu connotatio hujus loci, &c. &c. dicit aliquid ſuperadditum à parte rei Petro & huic loco extrinſeco, tanquam ultimam determinationem rei indifferentis: alioquin Petrus & hic locus eſſent indifferentes à parte rei ad aliquid ſecum identificatum, ſimulq; identificarentur cum oppoſito ſibi prædicato, nempe cum ultimo determinativo ad id, ad quod eſſent indifferentes, ſine ulla diſtinctione reali, ipſorum à tali determinativo; quod utrumq; implicat.

Etiam in ubicatione

Ne q;

Neq; dicas Vbicationem eſſe quid ſuperadditum à parte rei Petro, & Loco, ſed pure negativum, quod vocari ſolet Indiſtantia ab hoc loco, ſeu Non eſſe alibi, ſeu Non intercipi corpus ullum inter Petrum & hunc locum. Nam præterquam, quod huiuſmodi entia purè negativa reiecimus diſp. 2. *Contra. eſt.* Quia negatio diſtantiæ, negatio eſſendi alibi, negatio intercepti corporis inter Petrum & hunc locum, utiq; non negat aliquid negativum, aliàs eſſet negatio negationis; ſed potiùs negat aliquid poſitivum. Ergo iſta Diſtantia, iſtud Eſſe alibi, iſtud intercipi corpus inter Petrùm & hunc locum, ſunt termini poſitivi, qui negantur per ſuprà dictas negationes. Atqui iſti termini ſignificat Præſentiam aliquam in loco; Diſtare enim, eſt eſſe præſentem in loco remoto, Eſſe alibi, eſt habere præſentiam in alio loco, Interceptio corporis inter Petrum & hunc locum eſt præſentia corporis in loco intermedio. Ergo præſentia localis eſt aliquid poſitivum. *Neq; rurſus dicas*: Præſentiam in hoc loco, includere aliquid plus, ſolùm tanquam extrinſecum connotatum, quàm Petrum & hunc locum: *Contra enim:* Ergo ablato extrinſeco per poſſibile vel impoſſibile, & manente ſolo Petro, & hoc loco extrinſeco, manebunt omnia intrinſeca conſtitutiva Præſentiæ localis; ſeu ſimultatis Petri in hoc loco &c. Ergo manebit ipſa præſentia, ſeu iſta ſimultas, utpote adæquatè identificata cum ſolis omnibus intrinſecis ſuis conſtitutivis remanentibus; quod tamen eſt falſum. *Contra 2.* Quia hinc ſequeretur, quòd illud extrinſecum, prærequiretur vel ad Petrum & ad hunc locum præciſè, vel partialiter ad ſeipſum ut in ſimili nuper dicebatur. Hinc etiam illud

quod quidam dicunt: Poſito motu locali tanquam conditione extrinſeca prævia; Petrum eſſe formaliter in hoc loco per ſeipſum permanenter; ſimiliter non ſatisfacit, juxta modò dicta. Et adhuc *contra eſt*: quia tranſacto motu, poteſt in primo inſtanti Petrus de potentia abſoluta, non eſſe in loco, qui eſt terminus Ad quem, illius motus, ſed poni alibi, etiam ſine motu. Si verò dicatur requiri propterea decretum, quo Deus nolit hoc patrare miraculum. Quæro: quid non vult tale Decretum? niſi dicatur, nolle tunc Deum, dare Petro præſentiam in alio loco; de qua præſentia, ecce iterum redit tota quæſtio, quid ſit? Addo tamen motum localem eſſe Ubicationem fluentem, ſed permanentem dico eſſe terminum hujus motûs.

§. VIII. Idem planè dicendum de Duratione rei creatæ permanentis, Nam etiam poteſt dari à parte rei ſecundùm ſe, entitas Petri, & poteſt etiam dari à parte rei ſecundùm ſe, hoc tempus extrinſecum hodiernum; & tamen Petrus à parte rei non eo ipſo formaliter durare actu hodie, ſeu non coexiſtere tempori hodierno, ſeu non eſſe in circumſtantia temporis hodierni, ſeu non connotare tempus hodiernum de præſenti; ſeu non eſſe de præſenti ſimul utraq; hæc entitas &c. &c. Ergo illæ voces ſuperadditæ, rei, creatæ ſecundùm ſe, & tempori extrinſeco ſecūdùm ſe, ſignificant aliquod objectum à parte rei diſtinctum ab his extremis, quod differentiam ipſorum ultimò formaliter determinet & coëxiſtendum ſibiipſis, quomodocunq; appelletur: & quidem ſignificant aliquid poſitivum, ac intrinſecum in denominatione Durantis, ſicut de Ubicatione dicebatur.

Item in Duratione.

§ IX.

Et in termino continui ac naturæ ſubſtātialis

§ IX. Tandem, eodem modo philoſophandum de Terminis Continui, indiviſibilibus, immo etiam probabiliter de termino ſubſtantiali naturæ creatæ ſubſtantialis; quæ univerſaliter vocatur Subſiſtentia, in Subſtantiis vero completis vocatur Suppoſitalitas, & in rationalibus, etiam Perſonalitas. Si tamen ſubſiſtentia non eſt potiùs res, quàm modus. Certè non eſt aliquid purè negativum, naturæ à parte rei ſuperadditum: Tum quia ſubſiſtentia ſignificat aliquam perfectionem naturæ, ideoq; aliquid poſitivum Tum quia alioquin Homo v. g. in eſſe Perſonæ eſſet aliquid per accidens, ſicut aër eſt ens per accidens in ratione tenebroſi. Quod idem dicendum de Terminis continui, utpote ſenſibilibus in continuo. Porrò diſtinctio realis modalis horum terminorum à ſua re terminata, colligitur etiam ex ſeparabilitate extremorum reali non mutua, quæ ſeparabilitas ratione naturali innoteſcit de Terminis continui: per fidem verò ex myſterio Incarnationis de Termino ſubſtantiali naturæ creatæ, quo caret humanitas aſſumpta à Verbo: unde proportionaliter argumentamur ad terminos ſubſtantiales aliarum naturarum creatarum.

Quid ſit figura? ſitus? motus?

§ X. Ultra hæc genera modorum, alia non agnoſcimus, ſed ad aliquod ex his omnes, modalitates putamus reducendas eſſe, V. g: figuram ad terminos quantitatis; ſitum ad eoſdem terminos vel ad vbicationem; motum ad actionem eductiuam. Paſſio etiam eſt modalitas identificata cum actione eductiua, determinans indiuiſibiliter & Cauſam vt producat formam, & Subjectum, vt eandem formam ſuſtentet: ſicut amor Dei, & hominem denominat amantem, & Deum amatum.

Paſſio?

tum. Et ratio eſt: quia actio eductiva per hoc differt à creativà, quòd prior per ſeipſam ſit dependentia effectùs à ſubjecto. Quare Actio eductiva per ſeipſam recipitur ut quo in paſſo,& huj⁹ multiplicitatem ſequitur: cauſam autem efficientem extrinſecè denominat producentem in actu ſecundo. Unio tamen diſtinguitur realiter à Paſſione. Tum quia hæc ſemper eſt accidens; Vnio ſæpe eſt ſubſtantialis: Tum quia, ut mox dicam, Actio eſt ſucceſſiva; Vnio permanens; aliàs ſingulis inſtantibus totum compoſitum variaretur eſſentialiter variatâ unione. Probabile verò eſt quod docet Cardinalis de Lugo, & Arriaga, Durationem rei creatæ permanentis, identificari cum actione ejus conſervativa, quando hæc diſtinguitur à re permanente. Cùm enim creatura ſingulis momentis accipiat a Deo ſuam exiſtentiam, tanquam donum novum, non novitate doni, quod ſemper eſt idem in permanentibus; probabile eſt, quòd accipiat novum, novitate dationis ejuſdem exiſtentiæ poſt primum inſtans ipſius, quando hæc datio diſtinguitur ab exiſtentia rei. Oportet ergo talem conſervativam creaturæ permanentis actionem, quæ formaliter eſt datio exiſtentiæ creatæ poſt primum inſtans ipſius, eſſe pro ſingulis inſtantibus novam, ſeu aliam, & aliam, ac proinde eſſentialiter ſucceſſivam, & affixam tempori. Ergò non multiplicando entia, poterit commode cum tali actione identificari Duratio rei creatæ permanentis eſſentialiter ſucceſſiva. Atq; ex his patet dari entitates modales, & ubinam dentur.

Vnio diſtinguitur à Paſſione

non tamen Duratio ab actione conſervativa rei.

Ad 1. Sicut Ens reale primò dividitur in reale & rationis, deinde ens reale ſubdividitur in abſolutum & modale, actuale, & poſſibile; ita pariter

riter & Diſtinctio. Vnde potius argumentum retorquetur. Quo pacto autem Diſtinctio modalis ſit media inter realem abſolutam, & inter diſtinctionem rationis, dictum eſt in corpore.

Ad 2. Poſſet imprimis dici Modos in abſtracto non eſſe operativos, ſed tantum in concreto, puta non Vnionem, Actionem &c. ſed Vnitum, Agens; atq; illud axioma, *Vnumquodq; eſt propter ſuam operationem*, verificari de abſolutis entibus, quæ ſunt propter ſe, non autem de modalibus; quæ ſicut ſunt propter aliud, cui affiguntur, ita ſunt propter operationem alterius; & ideo adhuc non ſunt fruſtrà. Deinde etiam Modus in abſtracto, v.g. unio, producit ſuam ubicationem; poteſt enim ultima determinatio in uno genere, eſſe indifferens ad aliquid in alio genere. Tandem non repugnat principium operationis per ſeipſum eſſentialiter determinatum ad illam operationem, ſicut Pater æternus eſt determinatus ad generationem Filii. Nulla igitur ex parte probatur intentum in hoc argumento.

Ad 3. Materia unitur immediatè formæ, immediatione excludente mediationem partis componentis, ut contra Antiquos docet Philoſophus 8. met: c. ultimo; non autem immediatione compoſitionis. Sic etiam cauſa aliquando dicitur producere immediatè effectum, immediatione cauſæ, non Cauſalitatis habentis ſe ut Quo. Vnio ergò inter materiam & formam non mediat ut pars, quia non eſt extremum componens, ſed eſt ipſa compoſitio extremorum. Eſt tamen unio intrinſecum conſtitutivum compoſiti; quia hoc latiùs patet, quàm pars. Nam in toto Hypoſtatico Perſona Verbi, habet ſe ut conſtitutivum intrinſecum, non tamen ut pars; quia hæc ſignificat

ficat incompletionem & imperfectionem, à qua præſcindit conſtitutivum intrinſecum ex ſuo conceptu.

Ad 4. Cauſa neceſſaria poſitis omnibus requiſitis, ita neceſſariò connaturaliter producit ſuum effectum determinatum in ſpecie, (per quod differt à cauſa libera;) ut tamen poſſit impediri à Deo miraculosè à productione; & rurſus ita, ut ſit indifferens ad hunc numero effectum producendum ex infinitis poſſibilibus ſub eadem ſpecie, quos non diſcernit, ut pote omninò ſimiles & æquales in perfectione. Ergò productio effectûs in ſpecie, & multò magis productio hujus numero effectûs, diſtingvitur realiter à causâ etiam neceſſaria, ſumptâ cum omnibus requiſitis ex parte actûs primi, ſaltem præſcindendo à Decreto Dei; ſiquidem nihil eſt indifferens etiam de potentia abſoluta ad ſeipſum. Iam vero poſito Decreto Dei, volente, ut hæc Cauſa, hîc & nunc producat hunc numero effectum, tollitur indifferentia cauſæ solùm efficienter, & mediatè, quatenùs voluntas hæc Divina infruſtrabilis efficit neceſſariò productionem hujus numero effectûs, procedentem ab hac cauſa; per quam productionem tollitur formaliter & immediatè indifferentia cauſæ. Sic etiam poſitâ voluntate Dei, ut paries ſit albus, paries fit neceſſariò albus, per talem voluntatem efficienter, formaliter autem per albedinem, quæ ſequitur neceſſariò ad talem voluntatem. Ratio hujus eſt: quia cùm Deus dicit: *Volo ut ſol producat lucem*; vult aliquid aliud directè, quàm cùm dicit: *Volo exiſtere ſolem & lucem cum omnibus requiſitis ex parte actûs primi*: nam ſecunda voluntas eſt ſeparabilis à prima, licèt eodem modo tendat in objectum: Decreta

Quomodo Decretum Dei tollat indifferẽtiam cauſarũ ſecũdarum?

autem Dei ſeparabilia adinvicem, cùm habent eundem modum tendendi, debent habere diverſa objecta. Ergo prima voluntas vult plùs directè, quàm ſolem & lucem cum requiſitis ex parte actùs primi: hoc autem plus eſt productio lucis à ſole. Idem dic de Divino Decreto nolente in tali caſu patrare miracula; hoc enim Decretum non vult impedire dependentiam lucis à ſole, differtq; ab illo Decreto, quo Deus nollet impedire exiſtentiam ſolis & lucis cum omnibus requiſitis; ideoq; prius Decretum renuit impedire aliquid plùs, quàm ſecundum, quod plus, eſt ipſa dependentia lucis à ſole.

Ad 5. Non eſt contra dominium Dei & Omnipotentiam, non poſſe uti creaturâ ad uſus dominii chimericos, v. g. nigredine ad faciendum formaliter album. Talis verò uſus eſſet, ſi Deus ultima determinatione actuali hujus numero agentis, & hujus effectûs, ac paſſi, uteretur ad determinandum aliud agens, alium effectum, & aliud paſſum: hoc ipſo enim & eſſet ultima determinatio, & non eſſet. Quare ſolùm æquivalenter Deus hoc poteſt facere, quatenus loco iſtius v. g. illuminationis, per quam ſol producit hanc lucem in hoc aëre, poteſt ponere aliam ſimilem illuminationem, per quam ſolus Deus producat aliam lucem in alio ſimili ſubjecto. Rurſus poteſt quidem facere Deus id ſolus, quod poteſt cum cauſa ſecunda, ſed non poteſt ſolus id præſtare formaliter per ipſam cooperationem cauſæ ſecundæ, qualis eſt productio lucis, quæ fit à ſole cum Deo. Poteſt tamem Deus ſolus etiam id facere radicaliter, quatenùs per ſeipſum poteſt producere virtutem illuminativam.

Deus quâ modo & quo modo poteſt facere ſol⁹ quod poteſt cum cauſa ſecunda.

Ad 6. Negat Antecedens Card: Sfortia q. 11. de

de Incarnat: & P. Sylv: Maurus q. 54. Log. Sed melius conceſſo Antecedente, negatur conſequentia. Probatio ejus falſum ſupponit, quòd terminus in Relatione Prædicamentali ſit connotatum extrinſecum, cùm potius ſit intrinſecùm conſtitutivum; ſicut & ultimum determinativum ad eſſe uniti, eſt intrinſecum conſtitutivum Vniti. Hoc tamen, quia eſt ultimum determinativum actuale rei indifferentis, eſt modalitas; ſecùs autem terminus Relationis Prædicamentalis, qui non eſt ultimum actuale determinativum ſui fundamenti. Sed hoc melius declarabitur diſp. ſequenti quæſtione 2. Nunc ad explicanda duo reliqua Entis attributa redeamus. *Relatio Prædicamentalis non eſt modus.*

QVÆSTIO V.

Vtrùm convenienter explicentur reliqua duo Entis Attributa Verum & Bonum?

Videtur 1. non convenienter explicari Verum per ordinem ad cognitionem veram, ſeu conformem objecto: quia veritas cognitionis pendet à veritate objecti; ideò enim aliqua cognitio eſt vera, quia ejus objectum eſt verum. Ergò prius eſt rem eſſe veram, quàm connotare cognitionem veram; ideoq; malè explicatur res vera per talem connotationem. Immo quia ipſa cognitio vera explicatur rurſus per ordinem ad objectum; committitur circulus vitioſus in tali explicatione.

2. Sicut dicit Auguſtinus 2. ſoliloq; *Verum eſt id, quod eſt, non autem id quòd videtur.* Et ratio eſt, quia etiamſi nullus eſſet intellectus poſſibilis, cui videatur lapis eſſe, aut lapis eſſe lapis; adhuc lapis eſſet verus lapis. Ergò verum dicitur tale, independenter ab intellectu judicante de rebus.

Potiùs ergò definiendum eſt cum Aureolo. Verum: eſt id *quod non eſt ens apparens*, ſeu falſum, puta aurum eſt id, quod non eſt aurichalcum.

3. Videtur etiam non convenienter explicari Bonum per ordinem ad appetitum. Legitima enim eſt iſta cauſalis: *Ideò voluntas poteſt amare hoc objectum, quia eſt bonum:* hæc autem alia: *Ideò voluntas poteſt amare hoc objectnm, quia eſt amabile*, eſt nugatoria. Ergo Bonum non conſtituitur formaliter & definitivè per hoc, quod ſit amabile, ſed potiùs per hoc quod ſit *Id, cui nihil deeſt ad ſui complementum*, ut inter alios docet Comptonus.

§ I. *Reſpondetur.* Poſt explicationem Vnius, eiq; oppoſitæ Diſtinctionis, ſuperſunt explicanda duo reliqua Attributa Entis, Verum & Bonum. Et quàvis conſtet ex dictis Diſp. 1. q. 1. convenientem eſſe definitionem Veri, quod ſit, *Id quod eſt cognoſcibile ſicut eſt*: & ſimiliter Boni, quod ſit, *Id quod eſt appetibile*, (quam utramq; definitionem tradit D. Thom: tum alibi, tum 1. p. q. 16. art. 1. & 4. & ſecundam definitionem tradit etiam Philoſophus in principio Ethicorum:) nihilominùs tamen ut meliùs adhuc explicetur ratio Veri & Boni, quæ propria eſt hujus loci, utq; Principia de Vero & Bono tradantur; inſtituenda eſt hic comparatio Veri cum Bono, ultrà illam, quæ præmiſſa eſt ſupra, loco citato, ſimulq; explicanda ſunt breviter oppoſita Vero, & Bono, nempe Falſum & Malum. Quia verò omnis comparatio habetur per convenientiam & differentiam extremorum, quæ comparantur; videndum eſt, in quo Verum & Bonum conveniant inter ſe, & in quo differant.

§ II. Conveniunt ergo primò comparando il-

la

la cum ente, cujus ſunt Attributa, quia tam Verum quàm Bonum convertitur cum ente. Nam quidquid eſt, eſt cognoſcibile ſicut eſt, & ſimiliter eſt appetibile appetitu vel innato, vel elicito; vel à ſuis cauſis, (à quibus utiq; ex amore producitur;) vel à ſuis effectibus, & proprietatibus, exigentibus ſuam radicem, ſuamq; cauſam; vel ſaltem à ſeipſo, cum quodlibet pugnet pro ſuo eſſe, reſiſtatq; ut poteſt ſuis contrariis, quòd eſt ſignum amoris erga ſe. Quodlibet igitur ens eſt Verum & Bonum. Quod verò è converſo quodlibet Verum & Bonum ſit ens, patet: quia Verum & Bonum ut talia, ſunt vel ipſa prima Veritas & Bonitas DEI, vel participatio ipſius: dicit enim D. Thom. 1. con. Gen. c. 80. & p. 1. q. 14. ar. 9. ad 2. *Cùm Deus ſit ipſum eſſe, intantùm unumquodq; eſt, inquantùm participat de Dei ſimilitudine, ſicut unumquodq; intantùm eſt calidum inquantùm participat calorem:* & 1. con. Gen. c. 84. *Secundùm hoc aliquid repugnat rationi entis, inquantùm in eo non poteſt ſervari ſimilitudo primi eſſe.* Cum igitur in Vero & Bono, ſervetur ſimilitudo primi eſſe, oportet Verum & Bonum eſſe ens. Et quamvis dicat Dion. 5. de Divin. nom. *Bonum extendi etiam ad non exiſtentia*, quod idem de Vero dici poteſt: quia tamen juxta dicta ſuperius Diſp. 2. ipſum Non eſſe, dicitur tale per denominationem extrinſecam ab aliquo ente incompoſſibili cum re negata, quod eſt Verum & Bonum; ideo non eſt mirum, quòd in ſenſu reali Bonum & Verum extendantur etiam ad non exiſtentia; non tamen in ſenſu formali. Ex hac verò convertibilitate Entis cum Vero & Bono, ſequitur etiam illud principium D. Thomæ 1. con. Gen. c. 71. *Unumquodq; quantùm habet de eſſe, tantùm*

Verum & Bonum convertuntur cum Ente.

Tantùm res habet de veritate & bonitate, quantùm de eſſe.

tùm habet de cognoſcibilitate: Sequitur & illud quod ex Philoſopho tradit 1. p. q. 2. art. 3. *Quæ ſunt maximè vera, ſunt maximè entia.* Sequitur tandem illud, quod idem S. Doctor docet tum alibi, tum 1. con. Gen. c. 43 quòd *tantò aliquid perfectius & melius ſit, quantò minùs habet permiſtum potentiæ*: cùm enim in potentia miſceatur eſſe ſubjecti quod eſt in potentia, cùm non eſſe formæ, ad quam eſt potentia; ſequitur, quod potentia ſit radix eſſe imperfecti: unde ulterius infert S. Doctor, Deum eſſe ſummè perfectum & infinitè bonum, quia in eo non datur ulla potentia.

Quomodo verum reſpiciat intellectũ, & Bonum appetitum?

§ III. Rurſus comparando Verum & Bonum cum potentiis, quarum ſunt objecta, conveniunt in hoc, quod utrumq; cùm ſit quid Vniverſaliſſimum, definitur per ordinem ad potentiam univerſalem, & quidem univerſaliter ſumptam, nempe Verum, per ordinem ad intellectum ut ſic; Bonum, per ordinem ad appetitum ut ſic, præſcindendo ab appetitu creato vel increato, elicito vel innato. Et hinc eſt, quòd nec Veritas nec Bonitas unius rei multiplicetur etiam ratione noſtrâ, ad multiplicitatem intellectuum, aut appetituum; quia ſcilicet Veritas reſpicit plures intellectus, ſub una ratione communi intellectùs ut ſic; & ſimiliter Bonitas, plures appetitus: non ſecùs ac materia prima plures formas. Unde ulteriùs deficiente uno intellectu, vel appetitu ex pluribus poſſibilibus, quos reſpicit Verum & Bonum, non deficeret adhuc formaliter, (non loquor in ſenſu reali,) Veritas aut Bonitas rei; quia adhuc poſſet cognoſci relatè ad aliquem intellectum, aut appetitum poſſibilem reſiduum. Hinc etiam quia Verum & Bonum dicuntur per

ordi-

ordinem ad potentias univerſales, ideoq; reflexivas ſui mutuò ſupra ſeipſas; meritò dixit: D. Thom. 1. p. q. 16. ar. 4. ad 1. *In ordine appetibilium, Bonum ſe habere ut univerſale, Verum ut particulare; in ordine autem intelligibilium è converſo.* Debet autem hic adverti, quòd ſicut æternum poſſibile, quod non exiſtit in ſe, eſt mera denominatio extrinſeca à Potentia Dei productiva vel permiſſiva ipſius, ſecùs autem poſſibile quod exiſtit in ſe, ſicut dictum eſt diſp. 1. q. 3. ita pariter Verum & Bonum æternum, quod non exiſtit in ſe, eſt mera denominatio extrinſeca à Divino intellectu & voluntate; licet Verum & Bonum exiſtens in ſe, ſit denominatio intrinſeca. Eadem enim horum omnium eſt ratio. Et hoc videtur docere S. Thom. de Vero, dum qu. illa 16. ar. 7. ſupponens id quod docuerat art. 1. res denominari veras ab intellectu, dicit: *Sed quia ſolus divinus intellectus eſt æternus, in ipſo ſolo veritas æternitatem habet*, nempe per denominationem extrinſecam ab ipſa. Idem autem proportionaliter dicendum de Bono æterno ob paritatem rationis.

Verum & Bonum an ſit denominatio extrinſeca ab intellectu & voluntate?

§ IV. Præterea conveniunt inter ſe Verum & Bonum per ordinem ad actus ſuarum potentiarum quos cauſant. Sicut enim datur Bonum propter ſe, ſeu finis, & Bonum propter aliud, ſeu medium; & ex amore boni propter ſe, progreditur voluntas ad electionem Boni propter aliud: ita datur Verum per ſe notum, & Verum notum per aliud; & ex notitia Veri per ſe, progreditur intellectus ad illationem Veri noti per aliud. Et ideò dicit S. Thom. 1. con. Gen. c. 80. & alibi. *Finis hoc modo ſe habet in operativis, ſicut principium primum in ſpeculativis.*

Ita ſe habet finis in eligibilibus, ſicut principiũ in demonſtrabilib⁹

§ V. Amplius conveniunt inter ſe, eadem Attributa, ſi compararentur cum ſuis oppoſitis. Nam ut ait S. Th. 1. p. q. 17. art. 4. ad 2. *Sicut omne malum fundatur in aliquo bono: ita omne falſum in aliquo vero.* Immò ſicut aliquod Ens includitur in Non ente; (ideò enim aliquid non datur, quia datur aliquid impediens exiſtentiam ipſius, juxta dicta ſuperiùs d. 2. q. 3. & 4.) & ſicut aliqua unitas includitur in pluralitate: ita aliquod Verum includitur in Falſo, & aliquod Bonum in Malo. Nam ut ait Aug. lib. 2. ſoliloq. & ex eo D. Thom. *Falſus Hector, eſt verus Tragadus*, & falſum aurum, eſt verum aurichalcum, & ſimiliter venenum, quod eſt malum homini, eſt bonum araneo, & ſic de aliis. Quare meritò dixit citatus D. Th. in illo art. 4. *Falſum aliquid ponit*, quod utique eſt Verum: & nos ſupra diximus diſp. 1. q. 2. Falſum eſſe aliquod ens reale modo indebito cognitum. De bono etiam dicit idem S. Doct. 3. con. Gen. & alibi ex Aug. *In bono & malo fallere regulam Dialecticorum de contrariis*; quia ſcilicet Bonum & Malum diverſo reſpectu eidem conveniunt. Similiter 3. con. Gen. c. 12. probat, quòd *Malum non conſumat totaliter bonum*, & cap. 15. quòd *non detur ſummum Malum ſeparatum ab omni bono.* Addo quod ſicut ipſi Falſo convenit verè quòd ſit Falſum: ita ipſi Malo benè convenit eſſe Malum; ſi enim malum non eſſet malum, eſſet chimera, quod eſt quaſi deterius eſſe, quàm eſſe malum.

Falſum cum Vero & Malum cum Bono miſcentur.

§ VI. Tandem ut alia omittam, conveniunt Verum & Bonum in ipſo modo differendi inter ſe, quatenùs nec Verum à Bono, nec Bonum à Vero differt ratione formali Quæ, ſed tantùm ratione formali Sub qua. Nempe ſi eſſet aliqua

for-

formalitas in objecto ut bono, quæ non eſſet in objecto ut vero; jam illa formalitas poſſet eſſe volita, & non præcognita: omne enim bonum eſt volibile, & omne id quod non eſt verum, eſt incognoſcibile, Differunt ergò Verum & Bonum ſolùm ratione formali Sub quâ, quatenus ſub diverſo modo tendendi attingitur à ſua potentia, id, quod dicitur Verum, & id, quod dicitur Bonum, ut talia ſunt. Et in his conveniunt Verum & Bonum. *Bonum & Verū non differunt ratione formali Quæ.*

§ VII. Differunt jam inter ſe comparando illa cum Ente, quia Verum, eſt prior ratione noſtra proprietas entis, quàm Bonum, juxta dicta Diſp. 1. q. 1. § 5. quæ hic recognoſci debent.

§ VIII. Differunt deinde relatè ad ſuas potentias, quarum ſunt objecta: quia Verum debet eſſe conformabile omni diſtributivè intellectui, non autem Bonum ab omni appetitu eſt appetibile; ut patet in veneno aranei, quod eſt appetibile ab araneo, & non ab homine. *Verum reſpicit omnē intellectū; Bonum non omnem appetitum.*

§ IX. Præterea differunt multipliciter comparatione factâ ad actus quos cauſant in ſuis potentiis. Nam ut docet non ſemel S. Thom: Bonum cauſat actum amoris, quo amans exit extra ſe, & trahitur à bono amato: Verum autem cauſat actum, quo intelligens trahit ad ſe objectum cognitum, ſibiq; unit intentionaliter. Deinde actui attingenti Verum, non poteſt convenire diverſus gradus veritatis, quàm conveniat ipſi objecto in ſe: at actui attingenti bonum, poteſt convenire diverſus gradus bonitatis, quàm conveniat objecto in ſe. Et ratio eſt quia veritas cognitionis conſiſtit in indiviſibili; non autem bonitas amoris, circa idem obiectum. Præterea ſicut docet D. Thom. qu. de volunt. art. 1. ad 3,

omne

Omne quod appetit aliquid, appetit illud inquantum habet aliquam ſimilitudinem cum ipſo ſupple *ut eſt in ſe*, (de tali enim ibi ſimilitudine loquitur, qualis etiam invenitur inter inanimata:) at in cognoſcente non requiritur ſimilitudo cum objecto ut eſt in ſe, ſed tantum ut eſt in intellectu per ſpeciem ſuam. Et ideo Deus cognoſcit etiam mala, quæ ipſi ut talia non aſſimilantur, non verò amat. Ad hæc, *Bonum eſt diffuſivum ſui, quia movet agentem ad agendum* ut ait S. Thom. 1. con. Gen. c. 37. hoc autem non convenit Vero. Deniq; Bonum poteſt cauſare aliquem actum in homine, vi cujus homo ſit ſimpliciter bonus; non autem hoc præſtare poteſt Verum. Ratio eſt: quia rectitudo hominis non conſiſtit niſi in rectitudine voluntatis; hæc enim ſola imperat omnibus reliquis potentiis in homine; unde ſi fuerit mala, poterit abuti bono reliquarum potentiarum, & ſic homo erit ſimpliciter malus; ſi autem fuerit bona, poterit uti bono omnium potentiarum, & ſic homo erit ſimpliciter bonus. Porro talis rectitudo voluntatis conſiſtit in amore Boni, ordinato & cauſato à Bono; ſiquidem per amorem voluntas dominatur omnibus affectibus, quorum omnium amor eſt fons; & ideo dicit Aug. in Lib. de Ciu. quod breviſſima definitio virtutis ſit, *ordo amoris*. Et hæc etiam eſt doctrina D. Th: 1. p. q. 5. ar. 4. ad 3.

Diverſos actus cauſat Verum & Boniũ.

§ X. Differunt poſtremò Verum & Bonum, ſi comparentur cum ſuis oppoſitis. Nam Bonum Malo opponitur privative, Verum Falſo contrarie. Et hoc docet D. Thom. quoad 1mam partem ſæpe in locis mox citandis, in quibus docet Malum in privatione boni conſiſtere. Quoad 2dam verò partem docet ex profeſſo 1. p. q. 17.

ar. 4.

ar. 4. Sed jam de his oppoſitis Veri & Boni aliquid dicendum breviter.

§ XI. Et quidem jam dictum eſt ſupra diſp. 1. q. 2. Falſum formaliter ſumptum eſſe denominationem extrinſecam à cognitione, indebito modo, tendente in objectum, nec dari in rebus ut ſunt à parte rei. Falſum enim hujuſmodi dicitur eſſe aliquid, quatenùs vel non habet id à parte rei, quod illi tribuitur ab intellectu, vel habet id quod de ipſo negatur; quæ attributio vel negatio eſt opus intellectûs, ut patet. Cæterùm Falſum occaſionaliter ſumptum, ſeu ut loquitur D. Th. qu. illa 17. ar. 1. per modum cauſæ, datur à parte rei; quia nihil aliud eſt, quam id quod de ſe natum eſt inducere cognitionem difformem objecto, reſpectu plurium aut ſapientum. Hoc autem convenit rebus à parte rei, ex eo quòd una res habeat in exterioribus accidentibus magnam ſimilitudinem cum aliis rebus, quibus eſt ſecundùm eſſentiam diſſimilis: hinc enim fit, ut intellectus noſter cognoſcens eſſentias rerum per accidentia, decipiatur in cognoſcendo. Dixi *reſpectu plurium aut ſapientum*, nec enim aliquid dicitur eſſe falſum, quia ſolet inducere cognitionem falſam reſpectu paucorum, aut inſipientum. *Falſum an detur in rebus?*

§ VII. Reſtat explicatio Mali, quod conſiſtere formaliter in privatione boni debiti docet communis ſenſus PP. & Theologorum apud Eſparza q. 29. de Act. hum. docetq; id ſæpe Auguſtinus, ſæpe etiam D. Thom. ut patebit legenti totam qu. de malo. & lib. 3. con. Gen. à cap. 4. ad 15. Et ratio eſt, quia nulla res habens omne bonum, quod poteſt & debet habere, male habet. ut patet inductione. Ergo (per converſionem ſimplicem, quâ convertitur univerſalis negativa) *Malum formaliter conſiſtit in privatione boni debiti identificatâ alteri alicui bono.*

va) nulla res male habet, habens omne bonum quod poteſt & debet habere. Quæcunq; ergo res male habet, debet carere aliquo bono, quod poteſt & debet habere, adeoq; in privatione talis boni, omnis malitia conſiſtit. Atq; ita actus peccaminoſus v. g. eſt malus, quia caret rectitudine, quam poteſt & debet habere, non quidem ipſe actus, ſed ſubjectum, cui ineſt ipſa privatio rectitudinis ſimul cum actu malo. Et quamvis aliqua dicantur mala per ſuperabundantiam alicujus boni; & ita malum eſt homini habere longum naſum; tamen hæc ſuperabundantia vnius boni, v. g. materiæ, intantum eſt mala, inquantum privat alio bono majori, v.g. proportione partium, perfectione operationis &c. Porro hanc privationem boni debiti, in qua conſiſtit formaliter Malum, eſſe indiſtinctam realiter ab aliquo ente poſitivo & bono, multis probatum eſt Diſp. 2. qu. 4. Illud ſolum hic addendum, fieri poſſe, ut duo mala privent eadem bonitate conſiſtente in indiviſibili, & tamen unum malum ſit deterius altero; quia ſcilicet licet utrumq; malum privet ſubjectum totaliter totalitate formæ excluſæ; non tamen utrumq; totaliter, totalitate vis impedientis formam excluſam, ſed unum magis, aut etiam modo, ſpecie, diverſo, impediat formam à ſubjecto, reddatq; difficiliorem ejuſdem formæ recuperationem, juxta conditionem entitatis, cum qua privatio talis formæ in re identificatur. Et ita deterior eſt Avaritia quàm Prodigalitas, quia illa magis removet à ſubjecto Liberalitatem, magisq; difficilem reddit ejuſdem recuperationem. Plura de malo videri poſſunt in qq. ſelect. ad 1m 2dæ qu. 3. Et per hæc habetur explicata ratio Veri & Boni.

Ad

Ad 1. Sicut ſanitas hominis non cauſatur à ſanitate medicinæ, ſed à virtute medicinæ, quæ à ſanitate hominis quam cauſare poteſt, dicitur ſana: ita in ſenſu formali loquendo, veritas cognitionis non pendet à veritate objecti, ſed ab eſſe rei, quod denominatur Verum, ex eo, quia poteſt inducere veritatem cognitionis: nec ideò propoſitio hæc, *Petrus ſedet*, eſt vera, quia verum eſt Petrum ſedere, ſed quia Petrus ſedet. Nullus ergo committitur circulus in explicatione Veri, nec Verum formaliter ſumptum ſupponitur ante connotationem cognitionis veræ.

Ad 2. D. Auguſtinus ſolùm negat, Verum eſſe id quod eſt tale, quale eſſe videtur per qualemcunq; cognitionem, præſcindendo à Vera & Falſa; quod etiam nos non aſſerimus. Dum autem dicitur: impoſſibili omni intellectu, adhuc lapidem fore, formaliter loquendo, verum lapidem; id probandum eſſet, & non ſimpliciter aſſerendum; quod cùm non probetur ab arguente, dicimus in tali caſu chimerico, lapidem non fore formaliter verum lapidem, ſed tantum fore lapidem, fore unum &c. Iam definitio illa Aureoli duplicem ſenſum habere poteſt. Vel enim in illa, Tò *Apparens* ſumitur ut eſt in ſe à parte rei, & ſine ordine ad intellectum, ita ut ſenſus ſit definitionis, Verum v. g. aurum, eſt id quod non eſt apparens, id eſt, quod non eſt aurichalcum; & in hoc ſenſu definitio non eſt Veri, ſed Vnius; pertinet enim ad rationem Vnius, ut hoc non ſit aliud quodcunque. Vel in prædicta definitione, Tò *Apparens* ſumitur per ordinem ad intellectum, ita ut ſenſus ſit, Verum, eſt id quod non eſt ens, indebito modo cognitum; & ſic, quemadmodum *Apparens* ſumitur per ordinem ad intel-

le-

lectum: ita & oppoſitum ipſi Verum ſumi debebit.

Ad 3. Quando dicitur: *Ideò voluntas poteſt amare aliquid, quia eſt bonum*, Bonum ſumitur radicaliter non formaliter, id eſt pro radice appetibilitatis, quamvis nos hanc radicem neſciamus meliùs explicare, quàm per appetibilitatem formalem, quod etiam in multis aliis ſimiliter contingit. Iam illa definitio: *Id, cui nihil deeſt ad ſui complementum*, eſt potius definitio Perfecti abſolutè ſumpti; quod non eſt conſequens proprietas Entis, de qua hic agitur, ſed eſt formaliter ipſum Ens: nam Perfectum hoc modo ſumptum, eſt id, quod habet totum ſuum eſſe, quod eſt eſſe formaliter ens; unde etiam defectus, talis perfectionis, dicuntur defectus entis.

DISPUTATIO IV.

De Cauſis Entium.

Definitio Cauſæ

Cauſa in communi rectè ſic definitur: *Eſt principium dans eſſe alteri, quod nec identicè eſt à ſe.* Quæ definitio convenit 4. generibus Cauſarum neceſſariò dantibus eſſe alteri, ſaltem inadæquatè diſtincto à ſe, vel efficiendo illud, vel componendo, vel movendo efficientem ad poſitionem ejus, quod nec identicè eſt à ſe. Non convenit autem puris terminis v. g. privationi, & Verbo Divino quatenus terminanti naturam aſſumptam quia hæc quà talia, non dant eſſe alteri, ſicut nec puræ conditiones. quæ ſolùm applicant dantem eſſe alteri, vel removent impedimenta. Non convenit etiam puro principio, puta Patri æterno reſpectu Filij, nec utriq; reſpectu Spiritûs S. quia tam Verbum Divinum, quàm Spiritus S. ſunt identicè à ſe. Dividi-

Dividitur autem Cauſa 1mò, in Intrinſecam & Extrinſecam: Intrinſeca eſt, Materialis & Formalis: Extrinſeca, Efficiens & Finalis. Quanquam materialis reſpectu forma quam ſuſtentat, eſt extrinſeca, ut dicetur infra. Rurſus Cauſa poteſt conſiderari in actu primo, & in actu ſecundo. Agemus ergo primò de Cauſa in communi, ſpectata in actu primo, conſiderando ejus connexionem cum effectu. 2dò de Cauſa intrinſeca, oſtendendo diſcrimen Conſtitutivi, à connotato extrinſeco, quod ſolet eſſe vel cauſa extrinſeca, vel conditio, vel terminus. 3tiò conſiderabimus Cauſas in actu ſecundo, explicando breviter cauſalitates ſingularum. 4tò agemus ſpecialiter de Cauſalitate Efficientis. *Diviſio.*

QVÆSTIO I.

Vtrùm omnis Cauſa in actu primo connectatur eſſentialiter cum quolibet in particulari ſuo effectu poſſibili?

VIdetur non connecti ut exiſtimat Scotus, & noſtri Vaſquez, Arrubal in 1. p. ac Oviedo Cont. 10. met. pun. 4. Ripalda tom. 1. de ente ſupern. diſp. 41. n. 71. & alii non pauci quos citat & ſequitur Lynceus lib. 4. phyſ. Tr. 2. cap. 3. & ſeqq. 1mò. Quia ſi muſca ex poſſibili redderetur impoſſibilis, non propterea deficeret Omnipotentia DEI ſecundùm ſe, quæ eſt Cauſa Prima in actu primo muſcæ: Ergò Cauſa Prima in actu primo (& idem dicendum de cauſis ſecundis) non connectitur eſſentialiter cum muſca poſſibili. Patet conſequentia: quia deficiente uno ex connexis eſſentialiter, & alterum neceſſe eſt deficere. Antecedens probatur: quia alioquin ſequeretur, quòd DEUS dependeret quoad ſuum eſ-

ſe à poſſibilitate muſcæ, illaq; indigeret ad ſuam exiſtentiam. Aut ſaltem ſequeretur quòd non eſſet major veritas & neceſſitas exiſtentiæ Dei, quàm poſſibilitatis muſcæ; utrumq; autem eſt abſurdum.

2. Adæquatus terminus Omnipotentiæ Dei eſt, Quidquid non implicat. ſed in caſu quo muſca eſſet impoſſibilis, adhuc Deus poſſet producere Quidquid non implicat; Solum enim ex vi talis ſuppoſitionis non poſſet producere muſcam, quæ ſupponitur implicare: Ergo in tali caſu Deus haberet adæquatum terminum ſuæ Omnipotentiæ correſpondentem, eſſetq; omnipotens. Confirmatur. Quia in tali caſu perinde muſca eſſet impoſſibilis, ac eſt modo impoſſibilis hircocervus: Sed ex eo, quòd modo hircocervus ſit impoſſibilis, nòn deficit Omnipotentia: Ergo nec illic deficeret.

3. Quando Petrus ex exiſtente fit non exiſtens, non perit in Deo quoad ſuam entitatem ſcientia viſionis, reſpiciens Petrum exiſtentem: Ergo etiam quando muſca ex poſſibili fit impoſſibilis, non perit in Deo quoad ſuam entitatem Omnipotentia, reſpiciens muſcam poſſibilem. Tam enim intrinſecum eſt Deo cum reſpectu ad extra, ſcire creaturam exiſtentem, quàm poſſe illam poſſibilem producere.

4. Poſſe producere muſcam non eſt denominatio adæquatè intrinſeca Deo, ſed partialiter extrinſeca deſumpta à poſſibilitate extrinſeca muſcæ. Ergò per ablationem ſolam iſtius poſſibilitatis, ſine ulla variatione intrinſeca prædicatorum Dei, poſſet Deus amittere denominationem Potentis producere muſcam, eo modo quo per ablationem ſolam filij, Petrus ſine ulla mutatio-

tatione intrinſeca amittit denominationem Patris, quæ eſt partim intrinſeca, partim extrinſeca Petro. Probatur Antecedens: quia ſi hoc admittatur, honorificentius explicabitur conceptus Omnipotentiæ; ità enim tribuetur DEO poſſe producere creaturam, ut hâc ablatâ DEUS non deficiat; quod ſine dubio pertinet ad majorem perfectionem Omnipotentiæ, quàm oppoſitum.

5. Dici poteſt, quòd muſca reddita impoſſibili, adhuc illam DEUS poſſit producere, quantùm eſt ex ſe, in ſenſu diviſo repugnantiæ, ſeu ſi múſca exueret impoſſibilitatem; ſicut etiam nunc DEUS poteſt, quantum eſt ex ſe, producere Hircocervum ſub conditione, ſi eſſet poſſibilis. Et ratio eſt: quia DEUS poteſt facere omne illud, quod eſt poſſibile; ac proinde poteſt facere etiam impoſſibile, caſu quo eſſet poſſibile. Ergò deficiente poſſibilitate muſcæ, non deficeret in DEI Omnipotentia ullum prædicatum. Confirmatur: quia ſic perfectius explicabitur Divina Omnipotentia: Tum quia extendet ſe, tam ad poſſibilia abſolutè, quàm ad poſſibilia conditionatè producenda: Tum quia hoc modo DEUS poterit facere creaturam in duplici eventu, ſcilicet & nunc defacto, & in caſu repugnantiæ ipſius, quod eſt perfectius quam poſſe facere, in uno tantum eventu.

6. Saltem dicendum, quòd cauſa reſpiciat eſſentialiter effectum poſſibilem in communi non autem quemlibet in particulari: v. g. quòd ignis reſpiciat calorem ut ſic, non autem hunc, & illum determinatè calorem, & conſequenter, quòd ablato hoc determinatè calore quoad poſſibilitatẽ, adhuc remaneret potentia productiva caloris in igne; ſiquidem adhuc ratio caloris ſalvaretur in

alijs caloribus poſſibilibus. Ratio aſſumpti eſt: quia ſicut potentia ſpecificatur ab objecto, ita cauſa à ſuo effectu: Ergo ſicut una potentia debet habere unum objectum, ita & una cauſa unum effectum: Ergo utraq; pariter debet reſpicere ſuum terminum in communi, non in particulari.

§ I. *Reſpondetur.* In hac Quæſtione ad inveſtigandam eſſentialem connexionem cauſæ cum effectu poſſibili, ſolet formari hypotheſis hymerica hæc: *Si effectus poſſibilis redderetur impoſſibilis* ut conſideretur an per locum intrinſecum ex tali hypotheſi inferatur impoſſibilitas cauſæ. Et quidem in noſtris principijs, qui putamus poſſibilitatem effectûs eſſe ipſam virtutem activam cauſæ, à qua effectus extrinſecè denominatur poſſibilis, cùm ipſe nihil ſit in ſe intrinſecè, clarum eſt, ſublatâ poſſibilitate effectus, tolli cauſam ipſius. Sed in alijs etiam principijs decernendum eſt.

§ II. *Sciendum ergo,* dupliciter poſſe fieri illationem ex ſuppoſitione chimerica. Primò ex vi ſolius prædicati hypotheſis: & ita ex eo, quod homo ſit Leo, ſequitur ſolum quòd ſit rugibilis. Secundò ex vi totiûs hypotheſis: & ita ex data modo hypotheſi, ſequitur utraq; pars contradictionis, quòd ſcilicet homo & eſſet rugibilis, quia eſſet Leo, & non eſſet rugibilis, quia eſſet homo. Hoc poſito, ſi in præſenti facienda eſſet illatio ex tota hypotheſi, hoc eſt ex eſſe impoſſibilis, ſine dubio inferentur de Deo duo contradictoria, ſcilicet quòd poſſet tale objectum facere, quia eſſet muſca, & non poſſet, quia eſſet chimera; quodq; eidem coëxiſteret, & non coëxiſteret & multa alia quæ ex hac hypotheſi deducit Pater Antonius Perez tract. 2. de ſcientia Dei d. 5. c. 2. hoc medio

Ex ſuppoſitione impoſſibili liquid ſequitur?

dio probans connexionem eſſentialem cauſæ cum effectu poſſibili, quo medio nos etiam aliquando uſi ſumus. Sed re meliùs conſideratâ non videtur mihi in præſenti, tali modo facienda illatio: debet enim ſupponi in caſu præſenti ficto, quod muſca non retineret ampliùs ſuum eſſe poſſibile, ſed quod acquireret novum eſſe impoſſibile debetq; inquiri, an ex ipſo eſſe impoſſibili acquiſito præciſè, ſequatur deficere Omnipotentiam Dei.

§ III. Adhuc tamen dicendum eſt affirmativè cum ſententia magis communi Theologorum & Philoſophorum, etiam argumentando tantum ex vi prædicati hypotheſis. Ratio eſt: Quia hujus hypotheſis, *Si muſca redderetur poſſibilis*, prædicatum non eſt *Impoſſibile* quomodocunq; (ut ſupponit citatus Perez,) ſed eſt, *Eſſe redditum de novo impoſſibile*, ſeu amiſſio poſſibilitatis, & acquiſitio impoſſibilitatis. Ex hoc autem ſolo prædicato ſequitur per locum intrinſecum pariter amiſſio in Deo potentiæ productivæ muſcæ, quæ antea erat, & acquiſitio impotentiæ antea non habitæ, producendi eandem muſcam. Cùm enim, ut oſtendetur in reſponſione ad 5. repugnet Deo potentia producendi Impoſſibile etiam in ſenſu diviſo, & ſub conditione ſi eſſet poſſibile; & rurſus cùm poſſe producere aliquid, & non poſſe producere, ſint prædicata adæquatè intrinſeca Deo, ut oſtendetur in reſponſione ad 4tum; concluditur, ex illo ſolo prædicato illius fictæ hypotheſis, ſequi in Deo variationem intrinſecam prædicatorum Omnipotentiæ Divinæ, ac proinde ipſius interitum Dei.

Ex impoſſibilitate creaturæ, quomodo inferatur impoſſibilitas Cauſæ primæ?

§ IV. *Connectitur ergo eſſentialiter cauſa Prima in actu primo, cum quolibet determinatè ſuo*

effectu poſſibili, & ſimiliter cauſa ſecunda efficiens cum ſuo, materia cum formis poſſibilibus, potentia cum ſuis objectis &c. Immo è converſo etiam effectus connectitur eſſentialiter cum qualibet in particulari, cauſa ſua poſſibili, à qua poteſt pendere. Pariter enim, ſi ex pluribus cauſis hujus effectus, poſſibilibus, vel una redderetur impoſſibilis, eo ipſo in tali effectu periret hoc prædicatum ipſi intrinſecum & eſſentiale, *Poſſe pendere ab illa cauſa*, & conſequenter deſtrueretur eſſentia talis effectus, quæ conſiſtit in indiviſibili.

Connectitur eſſentialiter cauſa cum effectu & è converſo

§ V. Ex hac occaſione reſolvendum eſt illud quæſitum utile ad multas diſputationes de poſſibili: An Deus poteſt facere quidquid non oſtenditur implicare? Recentiores iam paſſim hoc affirmant, & ex hoc principio pleraq; principia recepta ab Antiquis Philoſophis & Theologis cum D. Thoma, circa connexionem & oppoſitionem prædicatorum eſſentialium, expedite negant; dicendo poſſibilem eſſe ſubſtantiam immaterialem non intellectiuam, & rurſus intellectivam non volitivam & è converſo, item ſubſtantiam intellectivam quæ ſit ſibi ſpecies impreſſa omnium poſſibilium naturalium objectorum, item poſſibilem eſſe materiam ſpiritualem; poſſibile eſſe corpus completum ſimplex; & ſimilia quàm plurima, quibus aliqui divinando potius, quam Philoſophando, multum & frequenter iimmorantur.

Ego exiſtimo cum Bernaldo de Quiros tract. 3. de viſione d. 25. ſ. 5. iſtud effatum. Omnipotentiæ non eſſe denegandum, niſi id quod convincitur manifeſte repugnare; verum eſſe in hoc ſenſu, quod repugnantia debeat eſſe manifeſta

An valeat illud argumẽtum Non apparet evidenter implicantia. Ergò id Deus poteſt facere.

non

non ex modo noſtro cognoſcendi, ſed ex parte rei cognitæ, quatenus tale objectum debet includere duo contradictoria, quæ eſt manifeſta repugnantia, licet, an includat? ſæpè à nobis non cognoſcatur manifeſte. Ratio eſt: quia cum illa, quæ nunquam extiterunt, non cognoſcamus intuitive, & multò minus comprehenſive, cumq; nec penetremus diſtinctè omnia prædicata eſſentialia hujuſmodi objectorum, nec virtutem activam cauſæ primæ, in qua continentur, vel non continentur talia objecta; hinc ſæpè accidit, ut non poſſimus evidenter cognoſcere conſonantiam vel diſſonantiam inter prædicata eſſentialia talium objectorum, ſed tantum poſſimus cognoſcere, vel æquè probabiliter (judicando aut ex rebus affinibus quæ exiſtunt, ex perfectione Dei) conſonantiam aut diſſonantiam; vel probabilius diſſonantiam, quàm conſonantiam; vel è converſo. Certè nulla ratio convincit tantam eſſe perfectionem intellectûs noſtri (quæ tamen non eſt præſumenda,) ut ſit determinatus ad cognoſcendam ſemper evidenter implicantiam in illis quæ, re ipſa implicant. Quaproptèr poſſunt dari opiniones oppoſitæ probabiles etiam de implicantia alicujus objecti, ex quibus ſi una erit probabilior, utiq; erit præferenda; ſi verò utraque fuerit in eodem gradu probabilitatis ſpectando rationem, neutra erit alteri præferenda, vel præferenda illa, quæ majori authoritate fulcitur. Cæterum illud argumentum negativum: *Hoc non implicat: Ergò Deus id poteſt facere;* ſi ipſi nihil amplius addatur ſæpè poteſt valere æqualiter pro oppoſita ſententia. Sicut enim v. g. tu dicis, Non implicat creatura indeſtruibilis à Deo: ita ego dicam: non implicat omnem crea-

turam poſſibilem eſſe deſtruibilem à Deo. Quis ergo noſtrum non vincet? Sed reſpondeamus ad argumenta oppoſita.

Qualis cõnexio Dei cum poſſibilitate creaturæ.

Ad 1. Cùm creatura poſſibilis ſit mera denominatio extrinſeca ab Omnipotentia Dei, quæ eſt adæquata poſſibilitas creaturæ, ut oſtenſum eſt d. 1. q. 3. ideo connexio eſſentialis Omnipotentiæ cum poſſibilitate creaturæ, & ab hac dependentia, non eſt realis & phyſica unius rei ab alia, ſed rationis, & metaphyſica unius conceptus ab alio conceptu, terminato ad idem realiter objectum; quo pacto etiam dicitur connecti rationale cum riſibili. Unde cum dicitur, Deus ad ſuum eſſe indiget poſſibilitate creaturæ, re ipſa dicitur, Deus ad ſuum eſſe indiget Omnipotentià, ſeu ſuo eſſe, & ſeipſo. Hinc etiam licet non ſit major, veritas exiſtentiæ Dei, quàm poſſibilitatis muſcæ, (veritas enim utraq; eſt in re eadem) eſt tamen major ratione noſtrà, neceſſitas & certitudo exiſtentiæ Dei, eo modo, quo præmiſſæ dicuntur certiores & magis neceſſariæ ratione noſtrâ, quam concluſio. Nempe Omnipotentia Dei, per ſe loquẽdo, eſt præmiſſa, unde per identitatem infertur poſſibilitas creaturæ, ut etiam dictum eſt loco citato in reſponſione ad 4tum. Qui autem dicunt poſſibilitatem creaturæ eſſe aliquid in ſe intrinſecè, æternum ac neceſſarium diſtinctum à Deo, viderint quomodo hoc argumentum ſolvant. Hoc ſanè argumento confirmatur noſtra doctrina, ſuperiùs tradita, quod ſcilicet nulla res detur extra Deum, in ſe intrinſecè æterna ac neceſſaria, etiam purè quoad eſſentiam, ſeu verificativè, ſeu objectivè, ſeu terminativè. Unde oppoſitam huic aſſertionem, Valentia 1. par. diſ. 1. qu. 14. pun. 7. dicit eſſe *con-*

tra

gra fidem: Montoya verò diſ. 11. de ſcient. Dei, ſect. 4. num. 25. de illa pronuntiat, quod *contineat temeritatem, & periculum erroris Winclefi.* Conſonat D. Thom. 1. p. qu. 16. ar. 7. ubi ex profeſſo tractans. *Vtrum veritas creata ſit æterna,* ita reſpondet: *Quia ſolus intellectus Divinus, eſt æternus, in ipſo ſolo veritas æternitatem habet; nec propter hoc ſequitur, quod aliquid aliud ſit æternum quàm Deus, quia veritas intellectus Divini eſt ipſe Deus.* Ubi ut vides S. Doctor, illam veritatem quæ eſt in intellectu Divino, æterna, ſive formalem, ſive objectivam, non diſtingui t, in ſe intrinſecè, à Deo. Deniq; S. Bonavent. in 2. diſt. 23. in fine refert hanc propoſitionem: *Multæ veritates erant ab æterno, quæ non erant Deus.* fuiſſe ſuo tempore *errorem prohibitum tanquam peſtiferum & excommunicatum.*

Ad 2. In caſu illo ficto, non tantæ eſt amplitudinis Tò *Quidquid non implicat,* quàm ſit de facto: ſupponitur enim ex ſphæra illorum, quæ non implicant, evolaſſe poſſibilitas muſcæ; ac proinde non daretur tunc in Deo tanta potentia activa, ſed minor, & contracta ad pauciora objecta; quod implicat ob infinitatem & immutabilitatem potentiæ Dei. Quia verò ob eandem rationem perinde implicat potentiam Dei activam eſſe majorem, quàm ſit, ac eſſe minorem: ideò ſi etiam Hircocervus ex impoſſibili fieret poſſibilis, implicaret pariter Omnipotentia Dei. In tali enim caſu creſceret ſphæra Omnipotentiæ Dei, & conſequenter ipſa Omnipotentia creſceret, quod repugnat infinito. Ad confirmationem negatur ita in hoc caſu ficto muſcam eſſe impoſſibilem, ac nunc eſt impoſſibilis Hircocervus; quia hic non evaſit de novo impoſſibilis ac proinde nunquam fuit

Si Hircocervus fieret poſſibilis, implicaret Deus.

fuit ad illum producendum potentia activa in Deo, quæ debeat perire: ſecus autem dicendum de muſca reddita impoſſibili.

Ad 3. Negatur conſequentia: quia Divinitas, cum qua identificatur Scientia viſionis, quoad entitatem, ob ſuam libertatem indifferentiæ, disjunctivè reſpicit exiſtentiam & non exiſtentiam creaturæ; ideoq; etiamſi nunquam detur exiſtentia creaturæ, adhuc remanet in Deo ſcientia viſionis quoad entitatem. At verò eadem Divinitas, cum qua etiam quoad entitatem ſuam identificatur Omnipotentia, ob eminentialem neceſſariam continentiam omnium perfectionum poſſibilium creatarum, quamlibet poſſibilem creaturam reſpicit determinatè, ideoq; tollitur, qualibet poſſibili creatura ablata.

Potentia productiva eſt adæquatè intrinſeca cauſæ.

Ad 4. Oſtenſum eſt diſp. 1. q. 3. § 12. Poſſe producere creaturam, eſſe denominationem adæquatè intrinſecam Deo, ita ſicut eſſe bonum, quod eſt, eſſe communicativum ad extra. Nunc idem ſic oſtenditur. Poſſe producere aliquid, nihil aliud eſt, niſi cauſam habere entitatem tantæ perfectionis, ut ſit contentiva formaliter, vel eminenter perfectionis repertæ in effectu: Sed hæc denominatio convenit cauſæ in actu primo ſpectatæ, per eſſentiam ipſius præciſè, ſine ullo ſuperaddito. Ergò convenit adæquatè intrinſecè. Et verò ſaltem Divinæ potentiæ infinitæ in agendo, hoc tribui debet, quod nullo à ſe, diſtincto indigeat ad hoc, ut aliquid poſſit proximè efficere. Videmus enim, quod quò eſt perfectius Agens, eo paucioribus comprincipijs & requiſitis indiget ad operandum. Ergo agens infinitæ virtutis nullo extra ſe indiget comprincipio & requiſito ad operandum. Quare explicare

Divi-

Divinam potentiam activam per aliquod partialiter conſtitutivum ipſius in eſſe potentis producere, quod ſit extra Deum, non eſt explicare honorifice Omnipotentiam Dei, quin potius chimericè.

Ad 5. Oſtenſum ſimiliter eſt in eadem illa diſp. 1. q. 3. ad 7. Deum non poſſe quantùm ex ſe, etiam conditionatè, producere impoſſibile, ſi eſſet poſſibile, ſicut nec poteſt mori, ægrotare, &c. ſi hoc eſſet poſſibile. Et ratio ultra ibi dicta eſt: quia cum omne conditionatum ſit poſterius purificatione conditionis, ſequeretur Omnipotentiam Dei eſſe poſteriorem poſſibilitate ſui termini extrinſeca Deo, à qua penderet ut à conditione: cùm tamen omnipotentia Dei ſit ex ſuo conceptu Ens primum; nec Deus ad hoc, ut aliquid poſſit facere, debet expectare purificationem conditionis extrinſecæ ſibi. Quare etiamſi Hircocervus evaderet poſſibilis, adhuc illum Deus non poſſet facere; quia terminus adæquatus Omnipotentiæ eſt poſſibile abſolutè tale, non autem poſſibile in ſuppoſitione chimerica. Nec contrarium extollit Omnipotentiam Dei: Tum quia, qua ratione poteſt Deus facere chimeram, ſi eſſet poſſibilis, eadem ratione, Aſinus poſſet producere Angelum, immo etiam ipſum Deum, ſi Angelus & Deus eſſet viſio Aſini, & tamen hoc non extollit potentiam viſivam Aſini: Tum quia, ob ſimilem rationem non extollit Dei potentiam, ſi dicatur poſſe mori, aut poſſe occidere Spiritum S. ſi hoc eſſet poſſibile; Tum demum à priori, quia poſſe facere aliquid in duplici eventu, uno reali & poſſibili, altero chimerico, & ſomniato, nec unquam reducibili ad actum ſecundum, non eſt melius, quàm poſſe facere in uno eventu vero & reali.

Deus quantum eſt ex ſe, nequit producere impoſſibile, etiam ſub conditione ſi eſſet poſſibile.

Ad 6.

Ad 6. Cauſa formaliter & ex modo noſtro concipiendi reſpicit effectum in communi; realiter autem & ex parte objecti reſpicit quemlibet in particulari: quatenus ſcilicet dum cognoſcitur à nobis conceptu proprio & differentiali, cognoſcitur relatè ad omnes ſuos effectus ſub una cognitione confuſa, repræſentatos adinſtar unius, à qua unitate effectûs, cauſa ſpecificatur, ſicut etiam potentia ſpecificatur à ſimili unitate ſui objecti, cum tamen effectus in communi, realiter & ex parte objecti importet quemlibet in particulari effectum.

QVÆSTIO II.

Vtrùm convenienter aſſignetur diſcrimen Conſtitutivi intrinſeci à Connotato extrinſeco?

Videtur non convenienter aſſignari hoc diſcrimen, quòd Conſtitutivum intrinſecum alicujus denominationis ſit id, quo ſolo ablato, manentibus verò omnibus aliis per poſſibile vel impoſſibile, non manet denominatio. 1. Quia ablatâ cauſâ non manet denominatio actionis, & ſimiliter ablato Deo non manet denominatio creaturæ; & tamen tam cauſa actionis, quàm Deus creaturæ, eſt connotatum extrinſecum, ut patet.

2. Ut arguit Card. Sfortia Pallavicinus lib. 6. Aſſert. Theolog: qui eſt de Sac: c. 2. Si in Divinis per impoſſibile ſola prima Perſona remaneret, non remaneret in eſſe Patris, in qua tamen ratione non conſtituitur intrinſecè per ſecundam Perſonam. Deinde quidquid ſit de hoc, ſaltem non poteſt eſſe promptum ſtatuere, quid ſequatur per locum intrinſecum in hoc vel illo caſu impoſſibili. Ergò diſcrimen præfatum Conſti-

tuti-

tutivi intrinſeci ab extrinſeco Connotato, non eſt adæquatum, aut ſaltem eſt obſcurum.

3. Ex hac Regula cognoſcendi Conſtitutivum intrinſecum, ſequeretur, terminum Relationis Prædicamentalis eſſe partem intrinſecam illius. Contra hoc autem multa opponi poſſunt. Nam imprimis Relatio Prædicamentalis, quæ eſt Ordo ad Terminum, non eſſet ordo ad aliud; ſiquidem ipſa identificaretur partialiter cum Termino. Deinde eſſet aggregatum ex pluribus entib⁹, puta paternitas ex ſubſtantia generante, & genitâ; ac proinde eſſet ens per accidens, quod excluditur à Prædicamento. Præterea, ſi Paternitas eſſet complexum ex ſubſtantia generante, & ex ſubſtantia genitâ, Filiatio etiam eſſet complexum ex ſubſtantia genita, & ex ſubſtantia generante; ac proinde Paternitas & Filiatio, eſſent realiter idem ſecum. Hoc autem poſito ſequeretur ulteriùs de eodem poſſe dici, *Eſſe formaliter Patrem*, de quo dicitur: *Eſſe formaliter Filium*: atq; ita Alexandrum filium Philippi, poſſe dici Patrem Alexandri: eo modo, quo dicitur de eodem, Rationale, de quo dicitur Riſibile. Et ratio eſt. Quia ubi abſtracta non diſtinguuntur realiter, nec concreta diſtinguuntur; alias idem realiter abſtractum eſſet in diſtinctis realiter concretis; quod fieri nequit. Si ergò non diſtinguuntur realiter Paternitas & Filiatio, nec diſtinguetur realiter Pater à Filio; ac proinde poterunt de ſe mutuò verè dici. Rurſus ſi Paternitas & Filiatio ſunt idem, ruit illud argumentum Theologicum: Quæ opponuntur relativè, diſtinguuntur realiter: Paternitas & Filiatio opponuntur relative: Ergo diſtinguuntur realiter. Fallit igitur hæc Regula cognoſcendi Conſtitutivum intrinſecum.

§ I

Reijciuntur aliorum Explicationes.

§ I. *Reſpondetur.* Certum eſt apud omnes, præter Conſtitutiva intrinſeca rei, dari etiam Connotata extrinſeca, neceſſario requiſita ad exiſtentiam rei. Quis enim dubitat, præter materiam & formam hominis, quæ ſunt intrinſecæ partes hominis, DEUM requiri neceſſario ad exiſtentiam hominis, ut aliquid extrinſecum? Et ſimiliter Obiectum requiri ad viſionem, Perſonam Miniſtri ad Sacramentum &c. Quapropter, *Id, ſine quo res eſſe non poteſt,* non eſt definitio Conſtitutivi intrinſeci, ſed eſt genus ad Conſtitutivum intrinſecum, & ad Connotatum extrinſecum neceſſarium rei; ac proinde quærenda eſt alia definitio utriusq;.

§ II. Certum mihi rurſus eſt, poſſe aliquid eſſe cauſam efficientem, & ſimiliter conditionem, aut Terminum alicujus denominationis, ſimulq; Conſtitutivum intrinſecum ejuſdem denominationis. Patet hoc multis ex Theologia tum ex Philoſophia exemplis. Nam tota S.S.S. Trinitas, adeoq; & Verbum, producit effectivè Compoſitum Hypoſtaticum; & tamen Verbum conſtituit intrinſecè tale compoſitum. Item Chriſtus D. & verba conſecrationis concurrunt efficienter ad Sacramentum Euchariſtiæ; quod tamen probabiliſſimè conſtituunt intrinſecè. Item Attritio ſæpè imperat, & ſic quodammodo efficit confeſſionem, ut eſt Sacramentum deletivum peccati; & tamen attritio eſt pars intrinſeca hujus Sacramenti. In phyſicis etiam homo producit in ſe denominationem videntis, quam ſimul intrinſecè conſtituit; & Anima rationalis eſt cauſa effectiva partis viventis per nutritionem aggeneratæ, ſimulq; eſt ejuſdem conſtitutivum intrinſecum. Sufficit nimirum ut Cauſa Efficiens

Cauſa efficiens alicujus denominationis, poteſt eſſe ſimul ejuſdem conſtitutivum

ens diſtinguatur realiter adæquatè à ſuo effectu, qui eſt terminus formalis actionis, licet ſolùm inadæquatè diſtinguatur à ſuo effectu, qui eſt terminus totalis conſtitutus per terminum formalem actionis. Cujus ratio eſt: quia cum ſæpe cauſa, unam tantum partem compoſiti efficiens, dicatur efficere compoſitum, ſicut homo generans ſolam unionem hominis, dicitur generare hominem, & artifex faciens ſolam formam arcæ, dicitur facere arcam: hinc eſt quod fieri poſſit, ut in aliqua denominatione, una pars efficiens ſuam compartem, tanquam terminum formalem, ſuæ actionis, à quo realiter adæquatè diſtinguitur, ſimul dicatur efficere totam denominationem, tanquam terminum totalem actionis, à quo ſolùm realiter inadæquatè diſtinguatur, ſitq; ipſius conſtitutivum intrinſecum. Non rectè ergo etiam explicatur Conſtitutivum intrinſecum per hoc, quòd non ſit cauſa efficiens, nec Conditio, nec Terminus alicujus denominationis.

§ III. Igitur Quidam dicunt: illud eſſe Conſtitutivum intrinſecum alicujus totius, ſive quidditativi, ſive denominativi, & accidentalis, uno verbo alicujus denominationis, (loquimur enim nunc in tanta amplitudine) quod meretur concipi in recto, illud verò extrinſecum, quod meretur concipi in obliquo. Verùm hæc Regula deſumpta ex recto & obliquo non videtur eſſe recta. communiter enim dicitur in concretis accidentalibus v. g. Albi, Cogniti, Ducis, Conſulis, & ſimilibus, formam meritò concipi in obliquo; & tamen eſſe partem intrinſecam denominationis. Similiter in Toto ſubſtantiali ſubſiſtente v. g. in Homine, Deo, &c. aliqui dicunt

Obliquum poteſt cõſtituere intrinſecè denominationem.

cunt

cunt in recto concipi Perſonam, Naturam verò in obliquo; alii è converſo: omnes tamen ſupponunt, tam Perſonam, quàm Naturam eſſe quid intrinſecum toti ſubſiſtenti.

§ IV. Card. Sfortia Pallavicinus loco ſuperiùs indicato, limitat hanc explicationem, dicitq; partem intrinſecam alicujus nominis, non deſumendam eſſe ab apprehenſione; quia hæc, quidquid attingit, intrinſecè attingit, ſed à propoſitione; illudq; eſſe partem alicujus nominis, quod à propoſitione affirmante tale nomen, vel ſignificatur ut rectum, vel ut obliquum verificativum ipſius propoſitionis. Quia verò optimè vidit, explicandum eſſe ulteriùs, quodnam ſit iſtud obliquum verificativum? cum multa ſint obliqua, quæ ſi non eſſent, non verificaretur propoſitio, & tamen non ſunt pars intrinſeca nominis affirmati per illam propoſitionem, qualis eſt v. g. Deus reſpectu viſionis beatificæ; ideò reſpondet, Regulam hujus deſumendam eſſe à poſteriori ab actibus voluntatis. Cùm enim (inquit) Objecta poſſint dividi per amorem, quæ non poſſunt dividi per affirmationem, (quâ ratione poſſum adorare Patrem, & non Filium, ſecùs autem affirmare;) cumq; poſſit ex illis, quæ eodem modo affirmantur, unum acceptari propter aliud, & hoc aliud propter ſe; ideo aſſerit, illud eſſe partem intrinſecam alicujus denominationis, in quod neceſſariò tendit voluntas, ſimili modo, quo tendit in ipſam denominationem. Contra hanc tamen explicationem eſt; quia per hunc Auctorem, Intentio Miniſtri peccaminoſa, eſt pars intrinſeca Sacramenti, & ſimiliter peccata reſpectu Sacramenti Pœnitentiæ; & tamen non ſimili modo amatur Sacramentum & peccatum.

tum. Ratio eſt: quia in aliquo toto, præſertim morali, poteſt eſſe pars intrinſeca, aliquid imperfectum & malum, quod ſit pura determinatio habens ſe ut Quo, alterius compartis cauſantis aliquem bonum effectum, aut habens ſe ut aliquid deſtruendum per ſuam compartem; in quo caſu, denominatio ratione unius compartis poterit amari per ſe & honeſtè, licet alia pars non poſſit amari hoc modo.

§ V. Card. de Lugo diſp. 2. de Sacr. docet illud eſſe Intrinſecum alicujus compoſiti, quo ablato, & manentibus omnibus aliis, non manet tale compoſitum; unde infert ibi Intentionem Miniſtri eſſe partem intrinſecam Sacramenti. Eandem definitionem Conſtitutivi intrinſeci latè demónſtrat P. Izquierdo in Pharo diſp. 9. qu. 5. prop. 19. Contra quam explicationem Intrinſeci, cùm multas inſtantias acriter oppoſuiſſet Dicaſtillo Tomo 1. de Sacr. diſp. 1. dubit 19. tandem illam admittit; docet tamen ex illa non ſequi Intentionem miniſtri eſſe partem intrinſecam Sacramenti, eò quòd ablatâ intentione, non maneat materia & forma Sacramenti, in eſſe morali, in quo dicit reſpectum ad intentionem. Sed in hoc videtur peti principium. Si enim ob defectum ſolius intentionis non manet materia & forma in eſſe morali, id eſt in eſſe Sacramenti: Ergò in tali eſſe morali, ſeu in eſſe Sacramenti, materia & forma conſtituuntur intrinſecè per intentionem Miniſtri, juxta admiſſam ab hoc Auctore explicationem Intrinſeci conſtitutivi.

§ VI. Dicendum ergò hanc definitionem Intrinſeci eſſe optimam, ſi claritatis gratiâ hoc modo proponatur, *Conſtitutivum intrinſecum alicujus denominationis eſt id, quo ſolo ablato, & manentibus*

tibus per poſſibile, vel impoſſibile aliis omnibus requiſitis ad eſſe rei, eo ipſo formaliter & immediatè tollitur denominatio; & quo poſito cum aliis ejuſdem quoad hoc generis, ſublatis verò etiam reliquis per poſſibile vel impoſſibile, eo ipſo formaliter & immediatè ponitur denominatio. Nempe etiam ablato connotato extrinſeco neceſſariò requiſito, aufertur res, & illo poſito, quandoq; ponitur, ſed mediatè & arguitivè, non formaliter & immediatè. E. g. corpus, anima rationalis, & unio, ſunt intrinſeca conſtitutiva hominis: quia iſtis ſolis præcisè poſitis, tametſi per impoſſibile nihil aliud daretur, etiam voluntas Dei de exiſtentia hominis, eo ipſo formaliter & immediatè poneretur, ſeu intelligeretur poni homo; & ſublato uno ex iſtis, v. g. animâ rationali, quamvis omnia alia manerent, etiam voluntas creatoris, eo ipſo formaliter & immediatè auferretur ſeu intelligeretur auferri Homo. E contra autem, voluntas creatoris de exiſtentia hominis, eſt extrinſecum connotatum neceſſariò requiſitum, quia poſitâ tali voluntate, arguitivè ſolùm & mediatè ponitur homo, eâdemq; ablatâ, ſimiliter arguitivè aufertur homo; eatenùs ſcilicet, quatenùs talis voluntas poſita, neceſſariò corpus animam, & unionem hominis inducit, & ablata, aliquid ex his deſtruit, vel impedit, vel etiam omnia iſta.

Noſtræ Sententiæ explicatio

§ VII. Ratio hujus doctrinæ eſt: quia cùm omne totum qualecunque ſit, identificetur adæquatè realiter cum ſolis præcisè omnibus ſuis intrinſecis conſtitutivis ſimul ſumptis; implicat poni ſola omnia intrinſeca conſtitutiva ſimul ſumpta alicujus totius, etiamſi cætera omnia per poſſibile vel impoſſibile deſint, quin eo ipſo formaliter & immediatè ponatur totum; ne dicatur

idem

idem poni à parte rei immediatè ſine ſeipſo: ſimiliterq; implicat auferri aliquod intrinſecum conſtitutivum, id eſt, non manere omnia intrinſeca conſtitutiva totius, & tamen formaliter manere ſeu non auferri immediatè totum; ne dicatur manere aliquid, quando non manet ipſum. Quæ igitur ita ſe habebunt, ut illis ſolis omnibus ſimul ſumptis poſitis, formaliter & immediatè ponitur totum, & quorum vel uno ablato, formaliter & immediatè tollitur totum, quidquid ſit de cæteris omnibus, ea neceſſe eſt eſſe omnia & ſola intrinſeca conſtitutiva totius. *Neq; dicas*: de entibus connotativis hoc non valere principium, quod ſcilicet poſitis ſolis præciſè omnibus intrinſecis conſtitutivis ſimul ſumptis, eo ipſo immediatè ponatur totum. Contra enim eſt, quia etiam ens connotativum non diſtinguitur realiter ab omnibus & ſolis ſuis intrinſecis conſtitutivis ſimul ſumptis. Ergo his præciſè per poſſibile vel impoſſibile poſitis, eo ipſo ponitur formaliter & immediatè ens connotativum; aliàs poneretur ens connotativum ſine ſeipſo; & ſic illud principium primum. *Impoſſibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe*, non in omnibus entibus verificaretur, ſed tantùm in abſolutis; quod eſt manifeſtè abſurdum. *Neq; dicas* rurſus: quandoq; non manere totum ob defectum ſolius præciſè connotati extrinſeci, remanentibus omnibus ſuis intrinſecis conſtitutivis ſimul ſumptis, quia ſcilicet hæc tunc non manent in eſſe partium, in actu 2do. Contra enim eſt primo; quia ablato ſolo extrinſeco connotato totius, ea quæ remanent conſtitutiva intrinſeca totius collectivè ſumpta, manent in ratione adæquatè identificati cum toto, diſtributivè autem ſumpta

remanent in ratione inadæquatè identificati cum toto; nec enim aliquid in ratione adæquatè vel inadæquatè identificati cum aliquo, conſtituitur per aliquid extrinſecum, ſed per ſuam entitatem præcisè, alioquin identitas non eſſet eſſentialis identificatis. Ergò ablato ſolo extrinſeco, ea, quæ manent omnia conſtitutiva intrinſeca alicujus totius, manent in eſſe partium, in actu 2do, de quarum ſcilicet conceptu eſt, ut collectivè ſumptæ identificentur adæquatè cum ſuo toto, inadæquatè verò identificentur cum toto, ſi diſtributivè ſumantur. Contra 2dò; quia redit tota difficultas; nam deficiente ſolo extrinſeco connotato totius, illa conſtitutiva totius quæ remanent, vel in eſſe partium in actu 2do conſtituuntur per illud quod deficit, tanquam per aliquid quod ſit intrinſecum in tali denominatione; & ſic hoc ipſum quod deficit erit intrinſecum pariter in denominatione Totius: vel conſtituuntur in eſſe partium in actu 2do per illud quod deficit, tanquam per extrinſecum in tali denominatione? & jam iterum quæro: quomodo tunc remanentia coſtitutiva totius, non maneant in eſſe partium, in actu 2do? ſiquidem manent tunc omnia collectivè illa, quibus conſtituuntur intrinſecè in eſſe partium, in actu 2do ſeu cum quibus conſtitutiva in eſſe partium in actu 2do, identificantur adæquatè? Confirmatur totus hic diſcurſus. Quia omne extrinſecum requiſitum ad eſſe alicujus totius, (quale ſolet eſſe Gauſa efficiens, Finis, Conditio, Terminus, & ſimilia ut talia ſunt) requiritur utiq; ad eſſe totius, non ratione ſui præcisè, ſed ratione alterius à ſe adæquatè diſtincti, quatenùs videlicet ſeu producit aliquid, ſeu determinat ad producendum, aut ad exiſtendum ali-

aliquid, quod eſt extra entitatem ipſius requiſiti. Ergò hoc remanente, ratione cujus requiſitum extrinſecum requiritur, etiamſi ipſum requiſitum extrinſecum per poſſibile vel impoſſibile non maneat, non propterea tollitur formaliter, & immediatè totum; quin potiùs manet, ſi non deſint alia quæ ſupponuntur etiam eſſe conſtitutiva intrinſeca ejuſdem totius. E contra verò conſtitutiva intrinſeca requiruntur ad eſſe totius non ratione alterius ab ipſis diſtincti, ſed ratione ſui, eatenùs ſcilicet, quatenùs per ſolam conjunctionem ſui, perq; meram exhibitionem ſuarum entitatum, dant eſſe toti. Ergò remanentibus ſolis entitatibus ipſorum omnibus, quidquid ſit de reliquo, eo ipſo immediatè neceſſe eſt remanere totum; & tolli, illis omnibus non remanentibus. Vide plura quæ de his late dicimus in ſelectis ad 3. par. qu. 3. agendo de conſtitutivis Sacramenti.

§ VIII. Ex hac verò explicatione, multa deducuntur per totam Theologiam & Philoſophiam. Ex. gr. quod ſit conſtitutivum intrinſecum Intentio Miniſtri reſpectu Sacramenti, Perſona operans reſpectu Meriti, ſcientia media vel conſenſus noſter conditionatè futurus reſpectu Efficaciæ auxilii, Modalitas reſpectu denominationum Vniti, Agentis, Producti, Paſſi, Vbicati, Durantis, Privatio formæ ſubſequentis reſpectu Mutationis, Capacitas ſubjecti reſpectu Privationis, & plurima alia. Præſertim verò deducitur Relationem prædicamentalem conſtitui intrinſecè non ſolùm fundamento, ſed etiam termino complete ſumptis, quatenus poſtulantibus conceptum unius extremi in recto, alterius in obliquo; ſecundùm quam diverſam conceptibilita-

Applicatur generale principiū ad particularia, & ſpecialiter ad Relationem prædicamentalem.

tem multiplicantur Relationes fundatæ in iiſdem extremis. Et hanc ſententiam eſſe communiorem teſtatur Roſmer diſp. 7. de Deo ar. 3. mihi p. 507. tenentq; Hurtad. Arriaga, Oviedo, Coninch de Trin. diſp. 4. dub. 4. ſec. 3. ac meus Magiſter P. Giattinus qu. 7. Log. ar. 4. Eandem ſententiam ita mordicus defendit P. Izquierdo, ut oppoſitam connotatorum dicat eſſe *omnino falſam* in Pharo diſ. qu. 1. n. 9. Et iterum diſp. 31. de Deo qu. 4. num. 286. *Se judice haud probabilem eſſe*. De eadem ſententia connotatorum, P. Lynceus lib. 3. Met. Tract. 6. cap. 22. num. 321. ita pronuntiat: *Vidimus, quàm pauci Authores hanc expreſſe & indubitanter teneant ſententiam, uno ferme Meratio excepto &c. &c. Franc. Mairon in 1. diſt. 29. qu. 2. art. 1. eam eſſe pronuntiat abſurdam. Noſter Barthol: Amicus in præſenti qu. 5. dubit. 2. falſam & improbabilem.* Hæc Lynceus, & plura acriora, ubi etiam oſtendit D. Thomam & Suarium non favere connotatiſtis. Deniq; P. Haunoldus agens contra connotatiſtas lib. 1. de Deo Tract. 1. cap. 4. Cont. 1. § 3. ſic ait: *Ita nunc communiter omnes, poſtquam opinio Connotatorum ab aula Literatorum receſſit.* Sed quidquid ſit de his cenſuris, à quibus nos omninò abſtinemus. Ratio omnium iſtorum eſt eadem. Sic enim breviter de Relatione v. g. prædicamentali argumentor in Cameſtres.

CA *Manente ſolo adæquato intrinſeco conſtitutivo Paternitatis, manet à parte rei Paternitas:*

MES *Sed manente ſolâ entitate Patris, non manet à parta rei Paternitas:*

TRES *Ergo ſola entitas Patris non eſt ſolum adæquatum conſtitutivum intrinſecum Paternitatis.*

&

& ſic etiam entitas Filii eſt partiale conſtitutivum intrinſecum Paternitatis. Conſequentiam eſſe in forma probant Canones Logici & principium *Dici de nullo.* Major eſt evidens, quia cùm nihil poſſit à parte rei manere ſine ſeipſo; cùmq; ſolùm adæquatum conſtitutivum intrinſecum Paternitatis ſit ipſa Paternitas; manifeſtè implicat, manere à parte rei ſolum adæquatum conſtitutivum intrinſecùm Paternitatis, & non manere Paternitatem. Minor etiam eſt certa, quia non exiſtente Filio, Petrus exiſtens non habet relationem Paternitatis. Et quidem (ut occurram reſponſioni quorundam) non habet iſtam Relationem non tantùm quoad denominationem, ſed etiam quoad entitatem totalem; alioquin ſi tunc daretur totalis entitas Paternitatis in Petro, daretur etiam & denominatio Paternitatis; cùm Petrus ſit ſubjectum capax talis denominationis, & denominatio ut ſic nihil aliud ſit, quàm entitas formæ in ſubjecto capaci. Dicere verò non manere in tali caſu Paternitatem terminativè & ſecundùm id quod dicit in obliquo, eſt petere principium; de hoc enim eſt quæſtio, an Relatio Paternitatis dicat intrinſecè id, quod dicit terminative & in obliquo? Idem ſic aliter in eadem forma probari poteſt. *Per te, Entitas Filii eſt conditio extrinſeca requiſita ad hoc ut exiſtat tota Relatio Paternitatis: ſed per te etiam, Entitas Filii non eſt conditio extrinſeca requiſita ad hoc ut exiſtat ſola Entitas Patris: Ergo ſola entitas Patris non eſt tota Relatio Paternitatis.* Conſequentia eſt in Cameſtres: Major & Minor eſt Adverſariorum.

Quod autem Quidam dicunt; Relationem prædicamentalem phyſicè ſumptam in re identi-

ficari tam ſuo fundamento, quàm termino, at verò Metaphyſicè ſumptam identificari ſoli fundamento in circumſtantia termini extrinſeci. *Contra eſt.* quia hinc ſequeretur Relationem phyſice ſumptam à ſeipſa metaphyſicè ſumptâ diſtingui realiter inadæquate, ex parte obiecti, ſicut diſtinguitur unum ens à duobus entibus. Sequeretur deinde, Relationem phyſicè ſumptam non eſſe ordinem ad aliud adæquate ab ipſa diſtinctum, quod de Relatione phyſicè ſumpta non video cur dici poſſit, cum tamen idem nolint dicere oppoſiti de eadem Metaphyſice ſumpta? Idem enim in re eſt Ens phyſicè & metaphyſicè ſumptum. Hinc etiam impugnatur ſententia, quam docebat meus quidam Collega, Vir multæ eruditionis & ſolidi ingenii, aſſerens Relationem prædicamentalem adæquatè identificari cum ſola ratione fundandi & terminandi. Contra enim eſt, quia in Relatione prædicamentali aliquando extrema relata non diſtinguuntur realiter à ratione fundandi, & terminandi, ita tamen ut hæ ipſæ rationes realiter inter ſe diſtinguantur, ut accidit in Similitudine duarum albedinum: & tunc patet quod Relatio prædicamentalis non diſtinguatur à fundamento & termino. Aliquando vero extrema relata diſtinguuntur realiter à ratione fundandi & terminandi, realiter inter ſe diſtinctis, ut accidit in Similitudine duorum parietum alborum; & tunc manente ſolâ ratione fundandi & terminandi, hoc eſt, manente ſolâ duplici albedine utriuſq; parietis, & unionibus ipſarum, & non manentibus parietibus, non manet ſimilitudo duorum parietum, ſed tantùm manet albedinum unitarum ſimilitudo, diſtincta à parte rei, quia ſeparabilis, à ſimilitudine parietum:

quam

quam etiam proinde Similitudinem parietum, oportet, juxta dicta, importare intrinſecè ipſos parietes, qui ſunt extrema relata talis ſimilitudinis. Aliquando demum extrema relata diſtinguuntur realiter à ratione fundandi, indiſtinctâ à ratione terminandi, ut accidit in Relatione Paternitatis, aliisq; fundatis in Actione & Paſſione: & tunc remanente per poſſibile vel impoſſibile ſolâ ratione fundandi & terminandi, nempe Actione & Paſſione, non maneret relatio prædicamentalis, ſed tranſcendentalis Actionis, & Paſſionis. Relinquitur ergo in Relatione prædicamentali includi intrinſecè, tam extrema relata, quàm rationem fundandi & terminandi.

De Relatione Tranſcendentali diſpar eſt ratio: Tum quia in hac Relatione Terminus requiritur extrinſecè ad exiſtentiam ſolius fundamenti, puta Creator ad exiſtentiam Creaturæ, in relatione Abalietatis: Tum quia, ſi per impoſſibile Fundamentum hujus Relationis daretur ſine ſuo Termino, puta entitas hominis ſine Deo, adhuc ſalvaretur formaliter tota Relatio Abalietatis in ſola entitate hominis, quæ, utpote limitatâ, adhuc tunc diceret eſſentialiter exigentiam dependentiæ à Deo, quæ eſt Abalietas. Quapropter ob contrarias rationes, Relatio Tranſcendentalis conſtituitur intrinſecè per ſolum fundamentum, ut fert communis ſententia.

§ IX. Interim, quoniam ex Conſtitutivis intrinſecis aliqua veniunt in recto, aliqua in obliquo in denominatione; tradenda eſt hic doctrina univerſalis de Recto & Obliquo, quam materiam acutè tractant Card. Sfortia & P. Giattinus locis indicatis. Et imprimis certum eſt apud omnes, denominationes Recti & Obliqui non eſſe reales, *Doctrina univerſalis de recto & obliquo.*

ſed deſumptas extrinſecè à modo ſignificandi. Poteſt enim una eademq; res nunc eſſe rectum nunc obliquum cum ſola diverſitate cōceptuum, & vocum, quæ conceptibus ſubſtituuntur.

Porrò illud dicitur concipi in recto, quod ita apprehenditur, ut ex vi talis modi concipiendi poſſit intellectus ipſum immediatè prædicare de aliquo, vel aliquid de ipſo; ſecus autem de obliquo dici debet, ut rectè explicat P. Eſparza qu. 8. de Sacr. Ratio hujus poteſt eſſe, quia juxta Regulas Dialecticas, in omni propoſitione affirmativa ſignificatur identitas recti importati ex parte ſubjecti, cum recto importato ex parte prædicati, quidquid ſit de obliquis, quæ ſolum debent conſiderari ut conjuncta cum recto; & ideo hæc propoſitio, *Album eſt dulce*, vera eſt, quia idem eſt rectum quod ſignificatur per Album, & quod ſignificatur per Dulce, nempe habens albedinem, licet Albedo & Dulcedo, quæ ſignificantur in obliquo, ſint realiter diſtinctæ. Quod igitur ita concipitur, ut ex vi conceptûs poſſit immediatè affirmari de aliquo, vel aliquid de ipſo, concipiur ut rectum. Hinc licet rectum & obliquum non dentur, & ſæpe non diſtinguantur à parte rei; quia tamen propoſitio procedit de rebus ut apprehenſis; multum intereſt ad veritatem propoſitionis, quid per terminos ipſius ſignificetur in recto quid in obliquo, ut eſt notum, ipſis, Dialecticæ Studioſis. Itaque quamvis hi termini complexi, *Ego qui lego librum*, *Liber qui à me legitur*, ambo ſignificent eaſdem res omninò; tamen ob ſolam mutationem recti in obliquum, non quidquid verè affirmatur de uno termino, affirmatur & de altero Ego enim qui lego librum ſum rationalis, non au-

autem liber qui legitur à me; & ſimiliter contritio terminata ad peccatum eſt ſupernaturalis, peccatum autem terminans contritionem non eſt ſupernaturale; & ſic de ſimilibus terminis complexis, differentibus ſolùm ex modo ſignificandi, non autem ex parte rerum ſignificatarum.

§ X. Hoc poſito inveſtiganda eſt regula, quid in aliquo termino complexo ſignificetur in recto quid in obliquo? Certum eſt apud omnes, in relativis fundamentum ſignificari in recto, terminum in obliquo, quia fundamentum eſt id, quod refertur ad aliud, nempe ad terminum. Rurſus communiter docetur in concretis adiectivis, qualia ſunt Album, Lucidum &c. in recto ſignificari ſubjectum, in obliquo formam; idem eſt judicium de nominibus grammaticaliter ſubſtantivis, quæ important formam accidentalem, qualia ſunt: Dux, Rex, Conſul, Philoſophus &c. De Concretis philoſophicè ſubſtantivis, qualia ſunt Homo, Leo, Lapis, magnum eſt diſſidium. P. Vaſquez 1. p. d. 155. quem ſequuntur Arriaga & Oviedo in Logicis, putant univerſalier in concretis ſubſtantialibus, in recto ſignificari Naturam, in obliquo Subſiſtentiam: *Sed contra.* Si homo, ut ſic eſt natura humana terminata per ſubſiſtentiam: Ergò cùm dicitur *Verbum Divinum eſt homo*, ſenſus erit, *Verbum eſt natura humana terminata per ſubſiſtentiam*, quod eſt Eutychianum. Deinde ſequeretur, ſi Verbum aſſumpſiſſet duas humanitates, fore duos homines, & conſequenter duo entia, & non unum propriè ens, quod communiter negatur cum D. Thoma 3. p. q. 3. a. 7. ad 2. Ideo P. Suarez in explicatione hujus loci, citans Gabrielem. & Marſilium, cui etiam ſubſcribit Car: de Lugo de Incar: putat

In concretis quid venit in recto?

Aliorum placita.

tat in concretis ſubſtantialibus ſemper in recto ſignificari Subſiſtentiam, in obliquo Naturam. *Contra* tamen ſtatim occurrit; quia ſi Deus eſt Perſona habens Deitatem: Ergò cum ſint tres perſonæ habentes Deitatem erunt tres Dii. Quod verò dicit Card. de Lugo: particulas *Vnus, Idem, Hic*, & ſimiles dictas de concreto ſubſtantiali, determinare naturam non ſuppoſitum, ideoq; cùm ſit una natura Divina, unum eundemq; eſſe Deum, quamvis ſint tres Perſonæ. Id verò difficile eſt; quia cum per ipſum Tò, *Vnus, Idem, Hic* directè prædicetur non de natura, ſed de perſona, quomodo non determinabit perſonam ſed naturam? Aliter ergò P. Conick d. 7. de Trinit. dub. 2. ſect. 2. docet, in concreto ſubſtantiali ſignificari in recto tam Naturam, quàm Subſiſtentiam, unita, ſeu complexum ex utraq;. Sed *Contra* quia hac ratione dum dicitur, *Deus eſt homo*, ſenſus eſſet, *Natura Divina, & ſubſiſtentia eſt natura humana & ſubſiſtentia Divina*, & ſic prædicatum propoſitionis non erit adæquatè identificatum cum ſubjecto. Item cùm dicitur, *Verbum caro factum eſt*, ſenſus eſſet, *Complexum ex Verbo & humanitate, factum eſt complexum ex humanitate & Verbo*; quod tamen falſum eſt; id enim factum eſt caro, quod fuit, antequam fieret caro; complexum autem ex Verbo & humanitate non fuit, antequam fieret caro.

§ XI. Mihi placet ſententia, quam indicat Card. Sfortia lib. 5. de Incar. c. 12. ſuppoſita ergo doctrina Philoſophi docentis 9. Ethic: *Id eſſe aliquid, quod eſt præcipuum in ipſo*, quod etiam principium uſurpat D. Thom. 1. p. q. 75 ar. 4. ad 1. & 1. 2. q. 29. ar. 3. Cenſeo concreta accidentalia in recto eſſe ipſum ſubjectum habens for-

Propria ſententia.

mam

mam, cùm in talib⁹ concretis, ſubjectum ſit præcipuum utpote ſubſtãtia. E contra, quia in concretis ſubſtãtialibus purè creatis, præcipuum, eſt Natura, non autem Subſiſtentia, quæ eſt proprietas conſequens naturam, & fortè etiam modalitas: cenſeo hæc concreta in recto eſſe ipſam Naturam terminatam per ſubſiſtentiam creatam. Hinc concreta, accidentalia, multiplicitatem vel unitatem ſubjecti ſequuntur; ſubſtantialia vero purè creata, Naturæ. Aliter tamen puto dicendum de concreto ſubſtãtiali ex natura creata & ſubſiſtentiâ increta, quale eſt ly *Homo*, dictum de Chriſto Domino; in hoc enim, cùm ſubſiſtentia ſit quid præcipuum; ideò ſignificatur in recto, & fundat illam mirabilem communicationem idiomatum Hinc Chriſtus eſt unum vivens, non duo viventia, (licet ibi ſit duplex natura vivens,) idq; ratione unius Perſonæ viventis. Hinc etiam juxta S. Thomam, ſi Verbum aſſumpſiſſet duas humanitates eſſet unus homo; ſi autem tres perſonæ aſſumerent unam humanitatem, philoſophicè eſſent tres homines & vulgariter unus homo vel complexum hujuſmodi, ut benè docet Perez tract. 3. de Deo, diſp. ultima, diceretur adhuc unus homo unitate collectionis Recti. Iam de hoc termino *Deus* dicendum, quòd cum in illo æquè principalis ſit Natura & Subſiſtentiâ, ideò hic terminus ſupponit nunc pro ſola Natura, ut cùm dicitur, *Deus eſt unus*: nunc pro ſola Perſona, ut cùm dicitur, *Deus generat, Deus eſt homo*: nunc pro utroque, ut cùm dicitur, *Deus eſt omnipotens*. Regula autem diſcernendi hoc ipſum, eſt veritas myſterii Trinitatis & Incarnationis, necnon uſus Eccleſiæ ac Patrum. De quo plura Theologia.

Ad 1. Ablatâ causâ tollitur Actio mediatè & argu-

arguitivè, non formaliter, intantùm ſcilicet, in quantùm tollitur aliquid præter entitatem cauſæ, quod intrinſecè conſtituebat denominationem Actionis, nempe illa modalitas. Idem dic de comparatione Dei cum creatura. Et ideò tam Cauſa, quàm Deus non ſunt intrinſeca conſtitutiva Actionis & Creaturæ.

Ad 2 P. Arriaga tum in diſp. de Relatione, tum in materia de Trinitate, admittit in Patre æterno duas Relationes Paternitatis ad Filium, unam Tranſcendētalem identificatam ſoli Patri, alteram Prædicamētalem identificatam etiam partialiter Filio. Communis ſententia eſt, quam ſequimur, Paternitatem Divinam eſſe relationem tranſcendentalem, aut ſaltem participare de relatione tranſcendentali, & identificari adæquatè Patri. Cùm enim Pater æternus per ſeipſum ſit eſſentialiter determinatus ut generet Filium, ipſe eſt generatio activa Filii; ac proinde cùm Paternitas ejus, ſit de linea actionis, eſt relatio Tranſcendentalis; quod non accidit in creatis, ubi Pater non eſt actio generativa Filii. Quare cùm Pater æternus in eſſe Patris non conſtituatur intrinſecè per Filium; ideò per impoſſibile ablato Filio, ſolùm arguitivè tolleretur, non autem formaliter & immediatè, in eſſe Patris. Ratio eſt: quia remanente per impoſſibile ſolà entitate Patris æterni, remaneret formaliter adhuc ſubſtantia generans cum determinatione ultima ad generandum, necnon cum determinatione ad coëxiſtendum Filio, indiſtinctà ab æternitate. Ergò remaneret formaliter Paternitas, quæ nihil aliud eſt, quàm ſubſtantia generans cum ultima determinatione ad generandum, & cum determinatione ad coëxiſtendum Filio. In

Diſcrimen Paternitatis creatæ à Divina.

aliis

aliis caſibus quid formaliter ſequeretur ablato uno extremo neceſſariò requiſito ad exiſtentiam alterius, non eſt ita arduum judicare, inſpectâ eſſentia utriuſq; extremi.

Ad 3. in quo opponuntur aliquæ rationes contra hoc, quòd diximus relationem prædicamentalem conſtitui intrinſece termino, Reſpondeo ad ſingulas. *Ad 1mam.* dico, relationem prædicamentalem eſſe ordinem ad aliud adæquate diſtinctum à fundamento ordinis, & ſolùm inadæquate diſtinctum ab ipſo ordine: *Ad 2dam.* dico, Paternitatem v.g. in conſideratione phyſica eſſe ens per accidens, non autem in conſideratione Logica; quia ſub hoc termino *Paternitas in concreto*, ita exprimuntur plura phyſice non unita, ut unum ſignificetur in recto, aliud in obliquo, unde fit, ut poſſit Paternitas in concreto, prædicari de uno per ſe, puta de Philippo Macedone; quod ſufficit ut aliquid ſpectet ad prædicamentum, ut patet in iis, quæ etiam ponuntur in prædicamento Habitùs. *Ad 3tiam.* rationem dico: Paternitatem & Filiationem in creatis, ſi conſiderentur ſecundùm ea, quæ ſignificant quomodocunq;, non diſtingui realiter; diſtingui autem, ſi conſiderentur ſecundùm id, quod dicunt in recto; nam Paternitas in recto eſt v. g. Philippus qui genuit Alexādrum, contrà Filiatio eſt Alexander genitus à Philippo. Ob hunc verò diverſum modum ſignificandi juxta dicta in Corpore, non de quocunq; dicitur formaliter eſſe Patrem Alexandri, de eodem dici poteſt eſſe formaliter Filium Philippi, & e converſo; licet, de quo dicitur rationale de eodem dici poteſt riſibile, & è converſo; eò quod hi poſteriores termini idem ſignificent in recto, non autem iſti, *Pater & Filius.* Neq;

Neq; verum eſt præterea ex identitate formæ denominantis inferri identitatem concreti, nam ab eadem forma *Cognitionis* proveniunt duo diverſa concreta *Cognoſcentis & cogniti*, & ſic de ſimilibus. Ad illud argumentum Theologicum dico: illud eſſe optimum, quatenùs procedit de Paternitate & Filiatione Divina. Hæ enim, ut dictum eſt in reſponſione ad 2. ſunt quaſi relationes tranſcendentales, cùm una ſit generatio activa, altera generatio paſſiva, ac proinde identificatæ ſolis fundamentis relationis, puta Paternitas ſoli Patri, Filiatio ſoli Filio; unde cùm inter Patrem & Filium, detur oppoſitio producentis & producti, & ſic diſtinctio; neceſſe eſt Paternitatem & Filiationem Divinam diſtingui realiter adæquatè. Univerſaliter ergò major argumenti illius vera eſt. Minor etiam vera eſt in Divinis; at in creatis ſolum eſt vera, quatenùs procedit de paternitate & Filiatione ſecundùm ſuum rectum conſideratis, non autem ſecundùm complexum ex recto & obliquo Sicut enim per multos ex Adverſarijs, non eſt verum in creatis inter generationem activam & paſſivam dari oppoſitionem producentis & producti, & conſequenter diſtinctionem, ſicut datur inter generationem activam & paſſivam in Divinis: ita nos poſſumus dicere, inter Paternitatem & Filiationem in creatis non dari diſtinctionem realem ſicut non datur in Divinis.

QVÆSTIO III.

Vtrùm Cauſalitas Cauſarum Intrinſecarum ſit Vnio? extrinſecarum verò Actio?

Videtur 1. Cauſalitatem cauſarum intrinſecarum non eſſe unionem: quia cauſalitas

cauſæ

cauſæ materialis in compoſitum eſt materializatio; formæ verò eſt Informatio. Si autem eadem utriuſq; eſſet cauſalitas in compoſitum, conſiſtens in unione; poſſet dici in ſenſu reali, quod pariter cauſalitas formæ in compoſitum ſit Materializatio, materiæ autem Informatio; quod tamen nemo dixerit.

2. Videtur etiam cauſalitas omnium cauſarum extrinſecarum non conſiſtere in Actione; quia pro diverſitate cauſarum debent poni diverſæ Cauſalitates. Patet autem diverſas eſſe cauſas extrinſecas, Efficientem, Subjectivam reſpectu formæ, Finalem & Idealem: Ergo cuilibet ex his aſſignanda eſt diverſa Cauſalitas.

3. Cauſalitas nec Divinitùs poteſt manere ſine ſuâ cauſâ, cùm ſit ultima determinatio Cauſæ ad cauſandum, eidem eſſentialiter affixa, ut ſupra habitum eſt. Sed eadem Actio cauſæ efficientis v. g. ædificatio poteſt eſſe ſine hac finali cauſa, quæ hic & nunc intenditur ab ædificatore, puta ſine intentione lucri; & ſimiliter ſine tali exemplari, quod inſpiciens artifex operatur. Ergo Actio non eſt cauſalitas cauſæ Finalis & Idealis, quæ ſunt cauſæ extrinſecæ.

§ I. *Reſpondetur.* Sicut ſupra dictum eſt, cauſæ aliæ ſunt intrinſecæ aliæ extrinſecæ. Intrinſecæ dicuntur per ordinem ad compoſitum, quod cauſant, ſuas entitates dando ipſi in partem. Quare hujuſmodi Cauſæ diſtributivè ſumptæ (quo pacto ſunt ſolùm cauſæ,) à ſuo effectu intrinſeco, diſtinguuntur realiter inadæquatè. Si autem ſumantur collectivè & unitæ, ſunt ipſum compoſitum, nec ſic ſumptæ ſunt cauſa intrinſeca compoſiti. Hinc effectus intrinſecus, nullam habet cauſam intrinſecam totalem, cùm hæc in *Quid ſint Cauſæ intrinſecæ?*

terminis repugnet, ſiquidem de conceptu cauſæ intrinſecæ eſt, eſſe partem componentem. Tales cauſæ intrinſecæ ſunt duæ, Materialis, & Formalis. Differunt verò per hoc,quod forma ſit pars intrinſeca compoſiti, perfectiva ſuæ compartis, vel tribuendo ſuæ comparti in eſſe totius ſpectatæ, nobiliora prædicata, quàm accipiat ab ipſa, ſi forma ſit ſubſtantialis & ſimpliciter perfectiva; vel quatenus primariò ex natura ſua ordinatur ad perficiendam ſuam compartem,ſi forma ſit accidens, & ſecundùm quid perfectiva. At materia ſeu ſubjectum eſt pars intrinſeca compoſiti perfectibilis à ſua comparte, vel ſimpliciter, vel ſecundùm quid, modo dicto.

Quid ſit forma? Quid materia?

§ II. Ex his cauſis extrinſecis, Materialis, ſi comparetur cum ipſa forma ſubſtantiali materiali, (excipitur anima rationalis, quæ non cauſatur à materia,) & cum formis accidentalibus, necnon cum ipſa unione, eſt cauſa extrinſeca. Huiuſmodi enim formis & unioni, cauſa materialis dat eſſe in genere proprio, ſuſtentando ipſas, tanquam aliquid à ſe adæquatè diſtinctum utpote cùm ad illarum eſſe & conſervari ex natura rei requiritur. Cæterùm cauſa Formalis ut talis, nullum habet effectum extrinſecum. Imprimis enim forma nullam cauſat materiam, quàm utpote priorem naturâ ſupponit cauſatam: Unionem verò licet Forma cauſet partialiter, ſuſtentando illam cum materia, quod eſt probabile, cauſat tamen in genere cauſæ materialis, non ut cauſa formalis.

Cauſa materialis & formalis an ſint cauſæ extrinſecæ?

§ III. Ultra cauſam materialem reſpectu formæ, dantur aliæ cauſæ extrinſecæ. Primo Efficiens,qu.2. phyſ. dicitur: *Unde principium primum* (comparatione ſcilicet aliarum, diverſi generis cauſa:

Quid ſit cauſa Ef-

cauſarum) *mutationis & quietis*, ſumendo latiùs mutationem, prout extendit ſe etiam ad creationem. Secundò cauſa Finalis: *cujus gratiâ aliquid fit*. Tertiò cauſa Idealis, quæ ex Auguſtino 12. de Civit: definitur: *Forma in mente exiſtens, ad cujus imitationem aliquid fit per ſe ex intentione agentis determinantis ſibi finem.*

ficiens, quid Finis, quid Exemplare.

§ IV. Hoc poſito, Cauſalitas cauſarum intrinſecarum nempe tam Materiæ quàm Formæ in compoſitum, eſt Unio. Quia hac poſitâ juxta dicta d. 3. q. 4. ultimo determinantur materia & forma ad actu cauſandum in proprio genere, & conſequenter ab ea denominantur formaliter actu cauſantes, quæ eſt notio Cauſalitatis. Nempe ab unione ultimò determinatur materia quidem ut ſe det actu, compoſito in partem, per modum ſubjecti ſeu partis perfectibilis: forma verò, ut ſe det per modum actûs, ſeu partis perfectivæ. Loquendo autem de cauſis extrinſecis, conſtat ſimiliter ex loco modo indicato, Actionem eſſe ultimum determinativum Agentis, ut actu agat, ipſumq; formaliter denominare Agens in actu ſecundo; ac proinde eſſe cauſalitatem ipſius. Rurſus quia ibidem dictum eſt, Actionem non diſtingui realiter à Paſſione, ſeu ſuſtentatione, & eductione formæ, à qua, cauſa materialis ultimo determinatur ad ſuſtentandam formam, denominaturq; actu ſuſtentans; patet ſimiliter Actionem eſſe in re, cauſalitatem cauſæ materialis reſpectu formæ, quæ cauſatur. Eadem verò Actio quatenùs per ipſam coëxiſtentem cognitioni Finis, ponitur amor Finis, & tota ſeries mediorum, eſt etiam cauſalitas Finis; ſiquidem poſitâ tali Actione ut coëxiſtente, cognitioni Finis, eo ipſo ultimò determinatur Finis, ut actu moveat

Cauſalitates ſingularum Cauſarum explicantur.

veat ad amorem ſui & poſitionem mediorum; id eſt, ut actu finalizet. Moveat inquam, motione illa metaphoricà quidem in ratione motionis, (quatenus talis motio non computatur à Philoſopho inter ſpecies motus,) ſed vera in ratione cauſalitatis; ſicut pratum ridet metaphoricè in ratione riſûs, ſed verè in ratione floriditatis. Tandem ob eandem rationem, eadem Actio v. g. quâ fit domus, eſt cauſalitas Ideæ, quatenus conjungitur cum cognitione Exemplaris, & intentione faciendi opus conformiter ad Ideam: hoc modo enim ſumpta Actio, denominat Ideam in ſuo genere cauſantem in actu ſecundo. Et ſic manent breviter explicatæ ſingulæ Cauſæ in ſuo genere earumq; Cauſalitates; quod erat in hac Quæſtione intentum.

Vna forma dat diverſas denominationes diverſis ſubjectis.

Ad 1. Eadem forma diverſimodè denominat ſubjecta, juxta diverſam ipſorum conditionem, puta eadem cognitio mea, me denominat cognoſcentem, lapidem cognitum; eadem contritio Deum denominat amatum, peccatum odio habitum, Petrum Dei amantem &c. Cujus rei ratio eſt: quia in effectu formali præter ipſam formam includitur intrinſecè etiam capacitas ſubjecti. In hunc ergo modum Unio comparata cum forma, denominat illam informantem: Informare enim, eſt uniri per modum actûs perfectivi, materializare autem eſt uniri per modum potentiæ perfectibilis.

Ad 2 Sicut cauſa prima & ſecunda tametſi ſint diverſi ordinis, ſimiliter potentia naturalis & habitus ſupernaturalis; nihilominus cauſant per eandem indiviſibiliter Actionem; ita diverſi generis cauſæ, poſſunt cauſare ſuos effectus, per eandem indiviſibiliter cauſalitatem, à qua

acc.

accipiant diverſas denominationes Cauſantis in actu ſecundo; puta Efficientis, Finalizantis, juxta diverſam conditionem hujuſmodi cauſarum, ut nuper dicebatur.

Ad 3. Iam dictum eſt, cauſalitatem Finis non eſſe actionem Efficientis ſecundùm ſe præcisè conſideratam, ſed ut coëxiſtentem cognitioni finis,& ſimiliter Cauſalitatem Ideæ eſſe Actionem Efficientis, ut coëxiſtentem cognitioni Ideæ, necnon intentioni conformandi ſe eidem. Patet autem ſic ſumptam Actionem non poſſe ſeparari à fine. & ab idea.

QVÆSTIO IV.

Vtrum poſſit de potentia abſoluta Actio ſimul terminari ad eundem numero effectum, ſive utraq; ſit totalis ſive altera partialis?

Videtur quòd ſic, ut cum Suario cenſent Hurtad: Ovied: Compt: Arriaga,& alij quos refert & ſequitur Tellez d. 63. ſ. 6. 1. Quia poſſunt divinitus ſimul poni duæ formæ ſubſtantiales in eadem materia ſaltem per informationem; & ſimiliter duæ quantitates per penetrationem in eodem loco; duæ item Ubicationes poſſunt in eodem corpore exiſtere per replicationem ejus in duobus locis. Ergo etiam duæ Actiones poſſunt divinitus ſimul terminari ad eundem effectum.

2. Plures Præsbyteri in Miſſa ſuæ ordinationis ſimul proferentes unà cum Epiſcopo ordinante, verba conſecrationis ſupra debitam materiam, defacto ſinguli tanquam cauſæ totales in actu ſecundo, ideoq; per plures adæquatas Actiones, conficiunt Corpus Chriſti. Totales inquam in actu ſecundo, quia ſi unus ex illis

deeſſet, maneret idem omninò effectus, ex vi actionis, aliorum remanentium. Quod idem dici ſolet de pluribus miniſtris ſimul validè baptizantibus eundem infantem, illiq; conferentibus gratiam baptiſmalem. Poteſt igitur ſupernaturaliter dari ſimul multiplex totalis productio ejuſdem effectus.

3. Non repugnat ut creatura exiſtens in priori naturæ ex vi Actionis totalis, quâ pendet à Deo conſervante, in poſteriori naturæ ſeipſam producat inſtrumentaliter quoad ſecundum eſſe, per ſecundam Actionem pendentem indiviſibiliter tum ab ipſa creatura, tum à Deo, ut cum Suar. docent Arri. & Tellez. citatus ſect. 2. alijq; plures. Immo Chriſtus Dominus exiſtens in cœlo, ut docent quidam Theologi, cum Suario, hoc modo, ſe reproducit ſub ſpeciebus Euchariſticis; unde de ipſo dicitur in Canone Miſſæ, *Per quem, hæc Domine, ſemper bona creas.* Non repugnat ergo in eodem inſtanti pendere effectum per duplicem, Actionem totalem vel alterutram partialem.

4. Poſſunt dari ſimul plures Fines adæquati in actu ſecundo, reſpectu ejuſdem effectus, ut cum quis deambulat, & propter ſanitatem tanquam propter motivum totale in actu ſecundo, & propter amicum. Ergo etiam poſſunt dari ſimul plures cauſæ efficientes pariter extrinſecæ totales in actu ſecundò reſpectu ejuſdem effectus, & conſequenter plures Actiones totales, per quas, ſcilicet cauſæ plures conſtituuntur formaliter totales in actu ſecundo.

§ I. *Reſpondetur.* Explicatis breviter cauſalitatibus omnium cauſarum, Cauſalitati, Efficientis utpote communi, pluribus cauſis, nonnihil adhuc

immo-

immorandum eſt, præſertim examinando poſſibilitatem duplicis Actionis totalis; ex hujus enim determinatione, multa pendent de cauſis extrinſecis, quæ ſtatim deducentur.

§ II. *Dicendum verò eſt* repugnare metaphyſicè duplicem Actionem terminatam ſimul ad eundem numero effectum, ſive utraq; ſit totalis, ſive altera partialis, ſeu quod idem eſt, non poſſe etiam divinitùs dari duas cauſas efficientes adæquatas in actu ſecundo, vel alteram adæquatam, alteram inadæquatam, reſpectu ejuſdem effectùs. Nempe nomine Cauſæ totalis in actu ſecundo, non hic intelligitur cauſa, quæ dum cauſat, excludat conſortium alterius cauſæ, (in hoc enim ſenſu nullus eſſet locus quæſtioni, ob manifeſtam duplicis talis cauſæ in actu ſecundo implicantiam;) ſed potiùs intelligitur Cauſa, quæ ita concurrat actu ad effectum producendum, ut ipsâ remanente cum eodem concurſu, & ablatâ concausâ ipſius cum ſuo concurſu, adhuc remaneat totus effect⁹ ex vi Cauſæ remanentis, ejuſq; Actionis. Ex quo etiam clarè patet, non poſſe duas cauſas totales in actu ſecundo cauſare effectum per unicam Actionem indiviſibiliter pendentem ab utraq; cauſa: hoc ipſo enim non eſſent Cauſæ totales in actu ſecundo, ſed ad ſummum totales in actu primo; quia videlicet ablatâ unâ ex talibus cauſis, eo ipſo auferretur effectus, ſiquidem auferretur omnis productio ipſius utpote pendens indiviſibiliter ab utraque cauſa: quod tamen eſt contra rationem cauſæ totalis in actu ſecundo. Repugnare ergò duplicem Actionem totalem ſimul terminatam ad eundem effectum, eſt repugnare duplicem Cauſam totalem in actu ſecundo ſimul concurrentem ad eundem effectum.

Quid ſit cauſa totalis in actu ſecundo.

Repugnat duplex Actio totalis § III. Hanc repugnantiam docet Scotus cum ſuis, ex Thomiſtis Cajetanus, Ferrar.: è noſtris Vaſquez in 3m. p. Card. Sfortia lib. 1. de Actib. hum: c. 9. n. 115. P. Eſparza quæſt. 28. de Sacr. P. Syl: Maurus q. 23. phyſ. Ratio eſt: Quia poſitis ſimul duabus Actionibus totalibus, vel unâ totali, alterâ partiali, per utramq; Actionem & poneretur aliquid præter ipſam, & per alterutram non poneretur quidquam præter ipſam, quæ eſt manifeſta implicantia. Probatur aſſumptum quoad primam partem contradictionis: quia eſt de conceptu Actionis diſtinctæ à parte rei ab effectu, de qua loquimur, cauſare ut quo in genere cauſæ extrinſecæ, & conſequenter eſſe talem determinationem principii, per quam ponatur aliquid præter ipſam, contra eſſentiam verò illius eſt cauſare ſolùm in genere cauſæ intrinſecæ, dando ſe purè in partem effectui, nihilq; ponendo præter ſuam entitatem: Ergò utraq; Actio totalis, vel altera partialis, ſi daretur ſimul, deberet ponere ut Quò aliquid præter ſeipſam. Iam oppoſita pars contradictionis ſic oſtenditur. Per illud nihil ponitur præter ipſum, quo etiam ablato, & non ſuccedente denovò in locum illius, altero æquivalente, nihil aufertur præter ipſum; hoc enim habemus manifeſtum ſignum, quòd v. g. albedo nihil ponat in materia præter ſeipſam, quia ſcilicet albedine ablatâ, nec ullo ſuccedente ejuſdem rationis, nihil aufertur præter ipſam; idem eſt de Vbicatione, ac de omnibus aliis entitatibus, quæ ſunt extra controverſiam præſentem, non ponentibus aliquid præter ſeipſas. Nempe in cauſis adæquatis valet illud effatum: *Si affirmatio eſt cauſa affirmationis, etiam negatio ſeu ablatio debet eſſe cauſa negationis ſeu ablationis.* Atqui

qui ablatâ unâ Actione ex his, de quibus loquimur, & non ſuccedente denovò aliquo æquivalente in locum ablatæ Actionis, nihil auferretur præter ipſam illam Actionem: poſſet enim utraque remanere cauſa, & remaneret defacto totus ac totaliter effectus, ex vi ſecundæ Actionis remanentis, utpote totalis. Ergò per unam Actionem ex illis duab⁹ nihil poneretur præter ipſam. *Nec ſatisfacit, ſi dicas*: Ablatâ ſecundâ Actione, & remanente primâ totali, auferri effectum quoad ſecundum eſſe, ſeu quoad eſſe bis productum, ſeu quoad habere eſſe dependens à ſecunda cauſa. *Contra* enim eſt, quia hoc modo auferri effectum, nihil eſt reipsà auferri, niſi ſolam ſecundam Actionem. Probatur hoc manifeſte; quia quando aufertur aliquod binarium, & manet prima pars binarii, manifeſtum eſt nihil tunc re ipsà auferri, niſi ſecundam ſolam partem binarii: nihil enim eſt in binario realiter loquendo, niſi pars prima & ſecunda; unde ſi prima manet, & tamen aufertur binarium, neceſſe eſt ut ſola ſecunda pars non remaneat. Atqui effectus quoad ſecundum eſſe, ſeu quoad eſſe bis productum, ſeu quoad eſſe dependens à ſecundâ causâ eſt binarium conſtitutum ex entitate effectûs, & ex ſecunda Actione præcisè. *Si* ergo remanet tota entitas effectûs ex vi primæ Actionis totalis, & tamen non manet effectus quoad ſecundùm eſſe, ſeu quoad eſſe bis productum, ſeu quoad eſſe dependens à ſecundà causâ; oportet vt nihil re ipsâ auferatur, niſi ſecunda Actio ſola, quod tamen fieri non poſſe oſtenſum eſt.

§ IV. Ex hoc principio deducitur 1. repugnare pariter duplicem cauſalitatem paſſivam ſimultaneam ſubjectorum in eandem formam, qua- *Repugnat duplex*

B5 cum

rum una, vel utraque ſit totalis. Paſſio enim & Actio eductiva ſunt idem realiter, ut ſuprà habitum eſt. Poſſet tamen divinitùs una forma uniri purè informativè ſimul duplici materiæ totali, cujus rei dabitur diſcrimen in reſponſione ad 1.

Cauſa paſſiva ejuſdem formæ

§ V. Deducitur 2. non poſſe etiam divinitùs idem ſeipſum producere, etiam quoad ſecundum eſſe. Quia hoc ipſo daretur duplex Actio totalis, vel altera; in eodem inſtanti temporis terminata ad eundem effectum; una nimirum totalis, quâ Petrus v. g. reproducens ſeipſum, in priori naturæ penderet adæquatè à ſua cauſa conſervativâ ſui, (alioquin non poſſet exiſtere, ac conſequenter agere;) altera, vi cujus idem Petrus reproductus, in poſteriori naturæ penderet à ſeipſo quoad ſecundum eſſe: implicat enim eandem Actionem eſſe pro priori naturæ, & ſimul pro poſteriori naturæ.

Item reproductio ſui

§ VI. Deducitur 3. repugnare ſimiliter mutuam Cauſalitatem, ſive in eodem, ſive in diverſo genere cauſæ, dummodo ſit in eodem inſtanti, etiam quoad ſecundum eſſe, ſaltem inter Cauſas requirentes exiſtentiam phyſicam ad cauſandum. Nempe ſecunda cauſa cauſans in actu, in priori naturæ ſupponitur habere adæquatè exiſtentiam ex vi alicujus Actionis totalis, per quam dependet v. g. à Deo conſervante. Si ergo eadem cauſa in poſteriori naturæ recauſaretur à ſuo effectu, penderet iterum in eodem inſtanti temporis à ſuo effectu per aliam Actionem, utpote naturâ poſteriorem.

Similiter mutua Cauſalitas

§ VII. Deducitur 4. non poſſe recipi Actionem in effectu tanquam in ſubjecto Inhæſionis. Quia cùm tale ſubjectum ſit cauſa paſſiva ejus quod inhæret, deberet præſupponi talis effectus

reci-

recipiens actionem, pro priori naturæ, exiſtens adæquatè vi alicujus Actionis naturâ prioris, ante Actionem receptam in ipſo inhæſivè; & tamen per hanc ſecundam poſteriorem naturâ Actionem penderet, in eodem inſtanti ab aliqua cauſa. Immo talis effectus ſeipſum cauſaret paſſivè; cauſare enim paſſivè aliquid, eſt cauſare paſſivè productionem alicujus. Solùm ergo Actio eſt in effectu, ut in termino, ſeu tanquam in ſubjecto Adhæſionis. Alia quæ hinc deduci poſſunt omitto brevitatis causâ.

Et actio recepta in effectu

Ad 1. Negatur conſequentia. Diſparitas patet ex dictis; illa enim quæ proponuntur in Antecedente, præſtant ſuum effectum in genere cauſæ formalis intrinſecæ, dando ſe purè in partem ſuo effectui; ac proinde dum cauſant, nihil debent ponere præter ſeipſa, nec ponunt, dum ſimul cauſant ſuum effectum. Ex. gr. ſicut ubicatio in corpore nihil debet ponere præter ſeipſam, ut tribuat corpori effectum ubicati: ita duæ ubicationes nihil ponunt præter ſeipſas dum ſimul ponuntur in eodem corpore, tribuuntq; illi effectum bilocati. At actio præſtat ſuum effectum in genere cauſæ Efficientis intrinſecæ, debetq; ponere aliquid præter ſeipſam, quod tamen non accideret, ſi daretur ſimul duplex Actio totalis ejuſdem effectûs productiva, ut oſtenſum eſt. Hinc etiam patet, cur aliquid poſſit duplici titulo ſeu jure haberi, non autem duplici actione produci. Eadem enim eſt diſparitas.

Duplex ubicatio in eodem ſubjecto non repugnat

Ad 2. Non eſt certum Antecedens. Quidam enim Theologi cum Suario putant ſingulos ſimul conſecrantes, eſſe cauſas partiales, Sacramentalis præſentiæ Chriſti Domini, ita ut una tunc detur Actio totalis productiva præſentiæ Chriſti pendens

dens indiviſibiliter ab omnibus conſecrantibus; atq; uno ex illis deficiente, non poſſit poni Corpus Chriſti, niſi per aliam Actionem pendentem eſſentialiter à paucioribus conſecrantibus. Si tamen admittatur Antecedens cum aliis Theologis, dici poteſt, quòd illi ſinguli conſecrantes ſint cauſæ totales in actu ſecundo mediatæ, & denominativè tales, reſpectu Sacramentalis præſentiæ Chriſti, quatenùs nimirum quilibet illorum producit immediatè ſuum peculiarem effectum phyſicum, v. g. Speciem in audiente; quorum plurium effectuum intuitu, Deus determinatur ad præſentiam Chriſti Sacramentalem producendam per unicam Actionem. Non eſt autem abſurdum dari ſimul tales Cauſas totales in actu ſecundo; quia adhuc cujuslibet illarum Actio ponit immediatè aliquid præter ſeipſam.

Ad 3. Iam oſtenſa eſt implicantia ejus quod aſſumitur. Chriſtus ergo Dominus creat ſe, vel quaſi creat in Sacramento, non quoad ſuam entitatem præcisè, ſed quoad eſſe Sacramentale, id eſt quoad modalem præſentiam ſuam & Vnionem accidentalem ſui cum ſpeciebus Euchariſticis, quam producit. Unde Converſio Euchariſtica eſt quidem ſubſtantialis, ut converſio eſt: quia ſub hoc conceptu conſiderata verſatur inter utrumq; terminum ſubſtantialem, puta inter ſubſtantiam panis & inter ſubſtantiam Corporis Chriſti; quatenùs tamen eſt Actio productiva, eſt accidentalis. Nihilominus tamen eadem productio præſentiæ & Vnionis Chriſti cum ſpeciebus eſt converſiva Subſtantiæ panis & vini in Corpus & Sanguinem Chriſti: quia ſufficit ad veram converſionem, ut terminus *A quo* deſinat eſſe vnitum quid, cum aliquo tertio communi, ex vi

Converſio Euchariſtica qualis

ex vi conjunctionis termini *Ad quem* cùm eodem tertio; quod præſtat Actio hæc de qua loquimur, vi cujus ſcilicet ſubſtantia panis & vini deſinit eſſe unita cum Accidentibus, propter unionem Chriſti cum ijſdem. Vide, quæ de hoc ex profeſſo dixi in q. q. ſel. ad 3. p. q. 5.

Ad 4. Repugnat etiam duplex Finis totalis in actu ſecundo reſpectu ejuſdem actûs interni voluntatis v. g. reſpectu ejuſdem intentionis, ut docent multi, quos refert & ſequitur Tellez d. 29. ſ. 6. non autem reſpectu actionis externæ v. g. reſpectu deambulationis. Ratio: quia in meis principiis, actus intellectûs & voluntatis ſeipſo immediatè eſſentialiter reſpicit motivum ſuum ac proinde motivo mutato mutatur; deficitque ſi motivum deficiat. Actus ergo unus internus voluntatis, qui fit ob plura motiva, quolibet deficiente, debet deficere; & conſequenter plura motiva non poſſunt eſſe adæquata in actu ſecundo reſpectu talis actûs interni: eſt enim de ratione cauſæ adæquatæ in actu ſecundo, ut illâ deficiente, non deficiat effectus, ſi maneat alia cauſa ſimiliter adæquata in actu ſecundo. Hoc non valet de Actione exteriori, quæ per ſeipſam non pendet à motivo, propter quod fit, ſed mediante actu interno voluntatis, à quo imperatur; ac proinde deficiente uno ex pluribus, motivo, non propterea debet deficere actio externa. Poteſt ergò eadem Actio externa v g. deambulatio ſimul pendere à duobus finibus, mediantibus duabus intentionibus ita, ut quolibet ſeorſim fine & intentione ejus deficiente, non deficiat Actio externa; quod eſt cauſari finaliter eandem actionem externam à duplici fine totali in actu ſecundo.

Duplex Finis totalis in actu ſecundo reſpectu actus interni non datur.

Ve-

Verùm hinc non licet à pari arguere ad duplicem cauſam efficientem totalem in actu ſecundo. Ratio diſcriminis eſt: quia cum Finis cauſet intentionaliter, ſeu ut exiſtens in intellectu, inducatq; media cognita ut utilia ad talem finem, ſufficit, ut ex duabus intentionibus, quibus mediantibus duplex finis totalis in actu ſecundo, cauſat actionem externam, quælibet intentio imperando, ponat aliquid præter ſeipſam, diſtinctum ſolùm intentionaliter ſeu in noſtro intellectu, ab eo, quod ponit altera intentio; ita ut una imperando ponat v. g. ambulationem quatenùs cognoſcitur utilis ad ſanitatem, altera eandem ambulationem, quatenùs cognoſcitur utilis ad complacentiam dandam amico. At cauſa efficiens cauſat ut eſt a parte rei; unde ex duabus Actionibus, quibus cauſat, duplex Agens totale in actu ſecundo, quælibet debet ponere aliquid præter ſeipſam, diſtinctum a parte rei ab eo quod ponit altera Actio; quod tamen non accideret, ſi daretur ſimul duplex Actio totalis ejuſdem effectus, ut probatum eſt.

DISPUTATIO V.

De Diviſione Entis ut ſic.

ENs ut ſic dividitur 1mò in Ens Increatum & Creatum, 2dò in Supernaturale & Naturale, 3tiò in Subſtantiam & Accidens, 4tò in Immateriale & Materiale. Duas priores diviſiones explicandas relinquimus Theologis, ad quos ſpectat explicare conceptum eſſentialem DEI & Entis ſupernaturalis. De duobus poſterioribus Diviſionibus Entis, nobis hoc loco agendum.

QUÆ-

QUÆSTIO I.

Vtrùm convenienter aſſignetur diſcrimen inter Subſtantiam & Accidens?

VIdetur diſcrimen Subſtantiæ ab Accidente non conſiſtere in hoc, quòd Subſtantia ſit id quod habet totam ſuam perfectionem intrinſecam, non ordinatam eſſentialiter ad perficiendum intrinſecè aliquid à ſe adæquatè diſtinctum, ſecùs autem Accidens.

1. Quia forma Subſtantialis, v. g. anima equi, habet totam ſuam perfectionem eſſentialiter ordinatam ad perficiendam intrinſecè materiam, quæ eſt adæquatè diſtincta à forma ſubſtantiali: Ergo &c.

2. Si dicatur formam Subſtantialem ordinari eſſentialiter non ad materiam ſecundùm ſe, ſed ad compoſitum, à quo forma inadæquatè tantùm diſtinguitur; eodem jure dici poterit, calorem v.g. manùs, eſſentialiter ordinari non ad manum ſecundùm ſe, ſed ad calidum, à quo calor inadæquatè diſtinguitur; & ſic calor erit Subſtantia.

3. Ens poſitivum non benè explicatur per differentiam negativam; ſed prædicta explicatio Subſtantiæ traditur per differentiam negativam, ut patet: Ergò non eſt bona.

4. Omnes ſubſtantiæ inferiores homine, ordinantur ex natura rei ad hominem, tanquam ad finem ultimum utilitatis, intrinſecè perficiendum, puta ad excitandam in illo delectationem, cognitionem, amorem conditoris &c. Ergo allata definitio Subſtantiæ, multis ſubſtantiis non convenit.

5. Nec etiam oppoſita definitio convenit Accidenti. Nam Error, Actus peccaminoſus, & ſimilia

milia Accidentia nociva, non ordinantur eſſentialiter ad perficiendum intrinſecè aliquid ab ipſis contradiſtinctum, ſed potiùs ad vitiandum aut corrumpendum. Ergò definitio propoſita tam Subſtantiæ, quàm Accidentis non convenienter traditur.

Aliorum Explicatio ſubſtātiæ & accidentis impugnatur.

§ I. *Reſpondetur.* Communi illi & vulgari deſumptæ ex Ariſtotele definitioni Subſtantiæ & Accidentis, quòd illa ſit *Ens per ſe*; hoc verò *Ens in alio*, difficultatem facit forma Subſtantialis, quæ revera eſt Ens in alio, & quidem per veram dependentiam à ſubjecto, ac ſuſtentationem, ſi eſt materialis, non minùs quàm dependeat Accidens à ſubiecto: unde per iſtas definitiones non videtur aſſignari diſcrimen inter omnem Subſtantiam & Accidens. Quod enim aliqui dicunt: formam ſubſtantialem materialem eſſe in alio tanquam in ſubjecto ſuſtentationis: Accidens verò eſſe in alio tanquàm in ſubjecto Inhæſionis; videntur reſpondere per id quod eſt in quæſtione. Cùm enim ſubiectum Inhæſionis ſupra dependentiam formæ à materia (quam etiam formaliter dicit ſubjectum ſuſtentationis,) nihil plùs formaliter dicat,niſi reſpectum ad formam accidentalem: hoc ipſum inquiritur, quo differat iſta forma, ad quam reſpectum dicit ſubjectum Inhæſionis, à forma ad quam reſpectum dicit ſubjectum ſuſtentationis? ſiquidem utraq; forma dependet à ſubjecto. In eodem circulo verſantur ii qui dicunt: Accidens eſſe in alio cum quo non facit unùm per ſe, ſecùs autem formam ſubſtantialem. Hoc enim ipſum quæritur, cur hæc potius quam illa forma faciat unum per ſe cum ſuo ſubjecto, ſiquidem utraq; ineſt ſubjecto per veram dependentiam ab ipſo.

§ II.

§ II. Quidam ergo ſecuti ethymologiam vocis, Subſtantiam eſſe id *quod primò ſubſtat accidentibus*. Sed præterquam quòd hæc definitio non competat Deo, nullius accidentis capaci; diſplicet ex eo, quòd in illa ponatur expreſsè Accidens, quod æquè ignoratur in hac quæſtione, ac ipſa ſubſtantia.

§ III. P. Hurtadus diſp: 10. met. Sect: 4. docet, Subſtantiam eſſe id *quod conſtituit quidditativè rem ſimpliciter dictam*, ſeu quo durante, durat res ſimpliciter dicta, & quo pereunte, quamvis cætera adſint, perit res ſimpliciter dicta. Verum hoc ipſum non minùs obſcurum eſt, quid ſit res ſimpliciter dicta? Nec enim univerſaliter verum eſt, quod dicit hic Auctor, rem ſimpliciter dictam eſſe illam, per quam abſolutè reſpondemus ad quæſtionem quid eſt hoc? Nam tales quæſtiones poſſunt excitari etiam de Accidentibus, & de entibus per accidens, poteſtq; ad talem quæſtionem reſponderi, eſt veſtis, eſt liber &c, quæ tamen ſunt accidentia, aut entia per accidens. Deinde ſicut ablato accidente v.g. albedine, non aufertur res ſimpliciter dicta v. g. Equus; ita ablatis in nutritione partibus ſubſtantialibus, non aufertur idem Equus.

§ IV. Affinis eidem explicationi eſt illa quorundam R R. qui ſecuti P. Antonium Perez Tr. 2. d. 2. de ſcien: Dei c. 3. num. 3. dicunt Subſtantiam eſſe id, *quod in prima connaturali conceptione concipitur in recto*, ſecus autem Accidens. Licet enim (inquiunt) poſſit etiam Accidens v. g. ambulatio concipi in recto per cognitionem conſequentem; ſupponitur tamen fuiſſe repræſentata prius in recto, Subſtantia ambulans. Si enim quæratur: Quid ſit ambulatio? reſponde-

tur eſſe id, per quod Subſtantia ſit ambulans, adeoq; ſupponitur antea nota eſſe ſubſtantia ambulans, cùm per ipſam reſpondeatur quærenti: quid ſit ambulatio? Contra tamen eſt: quia ut dictum eſt d. 4. q. 2. § XI. in concreto ſubſtantiali aliquando primò & connaturaliter concipitur in obliquo ſubſiſtentia, aliquando natura, & tamen iſta non ſunt accidentia; & ſimiliter filius in denominatione Patris, concipitur in obliquo, licet ſit ſubſtantia. Deinde vel datur fundamentum in re concepta, ut concipiatur primò connaturaliter in recto? vel non? Si datur, hoc potiùs fundamentum aſſignandum eſt pro differentia ſubſtātiæ. Si non datur? Ergo conceptus arbitrarius, eſt regula diſcernendi Subſtantiam ab Accidente.

§ V. Aliter adhuc definit Subſtantiam P. Arriaga diſp. 4. met. ſect. 5. dicitq; illam eſſe *id, quod conſtituit primam radicem eorum, quæ ſunt in compoſito*, unde cætera omnia advenientia huic radici, dicit eſſe Accidentia. Sed contra: quia hâc ratione Subſiſtentia eſſet Accidens, utpote adveniens naturæ, quæ eſt primum principium motûs & quietis, primaq; radix omnium, quæ inſunt connaturaliter compoſito, adeoq; ipſius ſubſiſtentiæ. Deinde materia ligni quatenùs affecta intenſo calore & ſiccitate, aliisq; diſpoſitionibus ad formam ignis, non magis eſt radix prima determinatè exigitiva formæ ignis, quàm ipſa forma ignis determinatè exigat ſua accidentia; & tamen materia quatenùs diſpoſita ultimò ad formam ignis, eſt ens per accidens, nec forma ignis exigita eſt accidens.

§ VI. Tandem ut alias omittam explicationes, Card. Sfortia Pallavic. lib. 5. de Incar. c. 10 n. 155. diſiunctivè definit Subſtantiam, dicendo:

eſſe

eſſe id, *quod vel eſt fundamentum, cui alia innituntur,* (uti eſt materia prima;) *vel eſt id quod dominatur in toto ſuppoſito, & cujus bono, cætera ſerviunt,* (uti eſt forma ſubſtantialis.) Ut verò hæc definitio extendatur etiam ad illa, quæ vocantur purè ſubſtantialia, qualis eſt vnio compoſiti ſubſtantialis, & ſubſiſtentia, addit ulterius, *vel eſt id per quod una ſubſtantia communicat ſuum eſſe alteri ſubſtantiæ: vel eſt id per quod ſubſtantia ſiſtit in ſe.* Hæc tamen definitio, (quidquid ſit an benè definiat inferiora Subſtantiæ,) ex eo non probatur, quia datur per enumerationem omnium inferiorum, rationis communis definiendæ; perinde acſi quis definiret animal ut ſic, eſſe id quod vel eſt rationale, vel rugibile, vel hinnibile &c.

§ VII. Potiùs ergo tenenda eſt definitio Subſtantiæ & Accidentis, ad initium quæſtionis propoſita, quam etiam tenet P. Oviedo. *Probatur.* quia cùm omnis Subſtantia hîc definienda, præter totum Subſtantiale, (quod ſine dubio non ordinatur ad aliud intrinſecè perficiendum,) ſit materia, forma, Unio compoſiti ſubſtantialis & ſubſiſtentia; cumq; hæc omnia ordinentur eſſentialiter ad conſtituendum totum, quod fit ex ipſis, quodq; ab ipſis ſeorſim ſumptis non diſtinguitur realiter adæquatè; patet omni neceſſariò Subſtantiæ convenire, quod ſit id quod habet ſuam perfectionem non ordinatam eſſentialiter ad aliquid à ſe adæquatè diſtinctum, intrinſecè perficiendum. Quâ etiam de cauſa ſubſtantia dicitur Ens per ſe, hoc eſt propter ſe, (ſive partialiter ſive totaliter) intentum à natura. E contra verò omne Accidens, cùm ſit Entis ens, eſt eſſentialiter in bonum alterius, cui famulatur,

Noſtra ex-plicatio.

tur & ut ait D. Thomas 3. p q. 11. a. 5. ad 3. non habet eſſe & bonitatem, (intellige propter ſe,) ſed dicitur ens & bonum; ſecundum quod ejus ſubjectum eſt ens & bonum; & quidem eſt in bonum alterius, cui inhæret; ac proinde bene definitur eſſe id quod totam ſuam perfectionem habet eſſentialiter ordinatam ad perficiendum intrinſecè aliquid à ſe adæquatè diſtinctum, & in hoc ſenſu dicitur eſſe ens in alio. Confirmatur etiam hæc explicatio. Quia regula diſcernendi Subſtantias & Accidentia, quæ ſunt extra nos, deſumenda eſt ex notitia illa, utpote prima & experimentali, quam habemus de noſtra Subſtantia & Accidentibus, quæ ſunt in nobis. Quilibet autem cognoſcendo ſeipſum reflexè & ſua accidentia v. g. viſionem, calorem &c. certificatur quòd non ſit ipſe ex natura rei ordinatus in bonum viſionis, caloris &c. ſed potiùs quòd hæc ordinentur in bonum hominis, cui intrinſecè inhærent. Et hinc eſt quòd viſio, intellectio, ipſa quin Gratia ſanctificans, & lumen gloriæ, ſuam bonitatem menſurant ex bono ſuæ ſubſtantiæ, quam quò magis perficiunt, eò magis dicuntur eſſe bona. E contra verò ſubſtantia non eatenùs eſt bona, vel melior, quia bona vel meliora efficit, aut recipit accidentia; ſed quatenus hæc efficiendo aut recipiendo reddit ſe bonam, vel meliorem.

Infertur quid ſit ſubjectum Inhæſionis.

§ VIII. Ex his conſtat imprimis, quid ſit ſubjectum Inhæſionis, & quid Suſtentationis, cùm illud per ordinem ad formam accidentalem, hoc ad ſubſtantialem explicetur. Conſtat rurſus, cur etiam Gratia Sanctificans, quamvis ſit in nobis radix operationum nobiliſſimarum, non ſit tamen ſubſtantia. Conſtat item, cur in uno com-

poſito, Natura multiplicat perfectiones accidentales, quantùm commodè poteſt; ſecùs autem ſubſtantiales. Quia ſcilicet ſubſtantiam amat gratiâ ſui, bonum autem eſt ſubſtantiæ, ut ſua prædicata poſſideat per maximam, quantùm fieri poteſt, unionem, ut ſic magis aſſimiletur DEO: Ergo hanc unionem vult Natura. At accidentium potiùs multitudinem intendit, quia hoc ipſum, eſt bonum ſubſtantiæ, in cujus bonum vult accidentia: ſicut Domino bonum eſt, habere plures famulos, & artifici, plura inſtrumenta, ut, uno deficiente, alterum remaneat. *Cur in cõpoſito multiplicẽtur accidẽtia.*

§ IX. Conſtat præterea, cur unum acccidens ſupernaturale v. g. Viſio beatifica, poſſit connaturaliter exigi ab alio accidente v. g. à lumine gloriæ, non autem ab ulla ſubſtantia creata. Quia ſcilicet dum unum accidens ſupernaturale emanat connaturaliter ab alio accidente ſupernaturali, ac proinde indebito, ulli ſubſtantiæ creatæ, & ordinato eſſentialiter ad perficiendam aliquam ſubſtantiam creatam; adhuc ſtat, quod utriuſq; talis accidentis ſupernaturalis prima radix, (quæ non debet eſſe quid ordinatum eſſentialiter ad perficiendum aliud à ſe,) non ſit aliquid creatum, ſed ſit Liberalitas DEI; quod tamen non ſtaret, ſi ex ſubſtantia creata connaturaliter emanaret aliquod accidens ſupernaturale, ut patet. Deinde hoc prædicatum excellens *Eſſe emanativum alicujus ſupernaturalis*, dum conjungitur cum Accidente, valdè obfuſcatur per hoc, aliud prædicatum Accidentis *Eſſe ordinatum eſſentialiter ad perficiendum intrinſecè aliud à ſe*: è contra verò nimis creſceret, ſi conjungeretur cum hoc prædicato ſubſtantiæ *Eſſe gratiâ ſui*. Quâ de cauſa poſſunt multæ perfectiones identificari cum *Cur ex ſubſtantia creata neq̃ quit connaturaliter emanare accidẽs ſupernaturale?*

Accidente; non autem cum ſubſtantia, ut patebit inducenti.

§ X. Hinc etiam implicat ſubſtantia ſupernaturalis, quæ non ſit Modus, immo probabiliter quæ non ſit unio hypoſtatica. Cum enim talis Vnio aſſimiletur Accidenti in hoc, quòd, quidquid eſt in ipſa perfectionis, non in ipſam refundatur, ſed in extrema, quæ ipſa nectit; immo cùm ipſa, non tam ſit perfectio, quàm communicatio intrinſeca perfectionis exiſtentis in extremis, (ſicut Actio non eſt virtus agendi ſed extrinſeca communicatio ipſius) ideò non ita creſcit Vnionis ſubſtantialis perfectio per hoc, quòd ſit ſupernaturalis, & connexa cum donis ſupernaturalibus, ſicut creſceret per hoc, perfectio Subſtantiæ diſtinctæ ab Vnione. Specialiter autem repugnat ſubſiſtentia creata ſupernaturalis, ſi hæc connaturaliter dimanat ex Natura ſubſtantiali; cùm ex hac, nihil ſupernaturale dimanare connaturaliter poſſit. Sed de his Theologi.

Cur implicat ſubſtãtia ſupernaturalis

Ad 1. Forma ſubſtantialis ordinatur eſſentialiter ad perficiendam intrinſecè materiam, non in eſſe materiæ, ſed in eſſe compoſiti, quod inadæquatè diſtinguitur à forma ſubſtantiali.

Ad 2. Cùm ipſum Totum Accidentale v. g. Calidum non ſit propter ſe, ſed intendatur à natura propter bonum ſubjecti præſuppoſiti ſecundùm ſe, v. g. in bonum hominis: hinc eſt, quod etiam Accidens v. g. calor ordinatus ad conſtituendum totum accidentale, eo ipſo ſit ex natura rei propter bonum ejuſdem ſubjecti, puta hominis, ſecundùm ſe, adæquatè diſtincti à calore. At Totum Subſtantiale, v. g. Equus, non intenditur à natura propter ſubjectum præſuppoſitum ſecundùm ſe, nempe propter materiam primam,

ſed propter ſe: unde fit, quòd etiam forma ſubſtantialis equi, ordinata ad conſtituendum Totum ſubſtantiale, partialiter intendatur propter ſe, non autem propter aliquod adæquatè diſtinctum ab ipſa.

Ad 3. Patet ex definitione Vnius, Dei, Materiæ primæ, etiam entia poſitiva à nobis explicari negativè. Immo conveniens eſt, ut ſicut Ens à ſe explicatur per negationem dependentiæ ab alio: ita Ens per ſe explicetur per negationem ordinationis ad aliud intrinſecè perficiendum; ut ita proportionaliter explicetur Ens à ſe, & Ens ab alio; ſicut Ens per ſe, & Ens in alio.

Ad 4. Quidam exiſtimant ſubſtantias inferiores homine, extrinſecè tantùm ex libero Decretò Creatoris, ordinari in bonum hominis. Si verò ex natura rei ordinantur, (quod eſt valde probabile,) certè non ordinantur ad perficiendum intrinſecè ſeipſis, hominem, ſeu in genere cauſæ formalis, uti ordinatur Accidens ad perficiendam ſubſtantiam, ſed mediatè & cauſaliter, quatenùs inducunt accidentia, quæ ſeipſis perficiunt intrinſecè hominem; quod non obeſt conceptui ſubſtantiæ.

Ad 5. Sicut dictum eſt diſp. 2. q. 4. nullus purus defectus datur in rerum natura. Quare etiam error, actus peccaminoſus, & ſimilia accidentia, quæ ſimpliciter & abſolutè deteriorant hominem; adhuc ſecundum quid, phyſicè illum intrinſecè perficiunt, quatenùs reddunt illum vitaliter operantem; licet abſolute non dicantur hominem perficere, quatenùs illum privant majori bono debito, puta rectitudine intelligendi, aut volendi.

QVÆSTIO II.

Vtrùm Differentia Entis Immaterialis à Materiali conſiſtat in ſeparabilitate ex natura rei à ſubiecto quanto?

VIdetur quod non 1. Quia actus, quo, Anima Chriſti D. affirmat ſe eſſe inſeparabilem à corpore, ſeu ſubjecto quanto, eſt ſpiritualis; & tamen eſt eſſentialiter inſeparabilis ab eodem corpore quod eſt ſubjectum quantum; Si enim poſſet ſeparari a corpore quanto, ille actus, poſſet etiam ſeparari & Anima Chriſti, quæ eſt ſubjectum adæquatum talis actûs; ac proinde actus ille poſſet eſſe falſus, quod repugnat actui ſupernaturali.

2. Intellectio & volitio animæ rationalis, quæ exercentur in corpore, ſunt operationes immateriales; & tamen ex natura rei poſtulant conjungi ſubjecto quanto; poſtulant enim exerceri dependenter à phantaſmatis materialibus receptis in corpore quanto. Sunt ergo aliqui actus immateriales inſeparabiles ex natura rei à ſubiecto quanto.

3. Poſſibilis eſt actio eductiva accidentis ſpiritualis ex ſubjecto materiali, v. g. eductio Gratiæ ex lapide: ſed talis actio eſſet dependens eſſentialiter, immo ipſa Dependentia à ſubjecto quanto, & tamen eſſet ſpiritualis: ſicut enim non poteſt produci effectus ſupernaturalis per actionem naturalem; ita nec ſpiritualis per actionem materialem: Ergo ſaltem poteſt dari ens ſpirituale inſeparabile ex natura rei à ſubiecto quanto.

4. Non repugnat unio ſaltem partialis, ſuſtentata in ſola anima rationali, ideoq; ſpiritualis, ſimulq;

muſq; terminata ad corpus, ſeu ſubiectum quantum, ideoq; affixa eſſentialiter ſubjecto quanto, ſeu corpori, tanquam modus ipſius. Ergo idem quod prius.

5. Si Deus crearet formam materialem v. g. animam equi; illa actio creativa eſſet materialis, ſicut & terminus ipſius, nempe anima equi; & tamen in nullo ſubjecto quanto poſtularet eſſe; cùm de conceptu creationis ſit eſſe productionem rei ex nihilo ſubjecti. Ergo neq; de ratione Entis materialis eſt, eſſe ex natura rei inſeparabile à ſubjecto quanto.

§ I. *Reſpondetur*. Quatuor meliores reperiuntur modi explicandi conceptum differentialem Entis immaterials. Primus eſt per imperceptibilitatem ab ullo ſenſu, ſeu per inſenſibilitatem, 2dus cum P. Arriaga d. 1. Animaſt. Sect. 4. ſub. 6. per penetrabilitatem. 3tius cum Vaſquez in 1. p. & Hurtad. d. 2. Animaſt. Sect. 3. per indiviſibilitatem. 4tùs cum P. Antonio Perez Tract. 2. de ſcient. Dei d. 1. c. 6. per ſeparabilitatem ex natura rei à ſubjecto quanto.

§ II. Primus modus ex eo non placet, quia etiam ſubſtantiæ materiales ſecundum ſe ſunt imperceptibiles ullo ſenſu, ſolumq; percipiuntur mediantibus accidentibus, quæ exigunt; quo pacto etiam ſentitur anima rationalis ſpiritualis, mediante motu progreſſivo, quem exigit. Item quædam accidentia materialia v. g. ſpecies intentionales ſensùs, ſolùm ſunt ſenſibiles activè, quatenùs ex natura rei cauſant ſenſationem; quo pacto etiam eſt ſenſibilis anima rationalis: Contra ſecundum etiam modum explicandi, facit, quia Impenetrabilitas, ſoli quantitati comparatæ cum alia quantitate convenit; de cætero tum materia

Varii modi explicandi Ent immateriale.

tum forma; tum accidentia materialia in eodem ſubiecto defacto invicem penetrantur. Tertius modus reiicitur ex eo, quia punctum eſt materiale, & tamen indiviſibile in partes extenſionis. In ſententia item Thomiſtarum probabili, Animæ perfectorum brutorum materiales, ſunt indiviſibiles extenſivè. Tandem probabilis eſt multorum Theologorum ſententia, Vbicationem ſpiritualem Angelicam eſſe formaliter diviſibilem, & extenſam, utpote conſtitutivam formaliter Angeli exiſtentis in loco diviſibili ac extenſo.

§ III. Quartus ergo modus explicandi ens Immateriale & Materiale præferendus eſt reliquis. Et verò patet inductione, ſeperabilitatem ex natura rei à ſubjecto quanto, imprimis eſſe prædicatum nobis notius; & deinde convenire defacto neceſſariò omnibus inferioribus Entis immaterialis, puta Deo, Angelis, Animæ rationali, quæ ſunt ſubſtantiæ immateriales; item Gratiæ, Characteri, Virtutibus intellectualibus & moralibus, ſpeciebus intelligibilibus, Actibus intellectus & voluntatis, Ubicationi, Durationi rei ſpiritualis, quæ ſunt accidentia immaterialia, comitantia ſubſtantiam immaterialem, ac proinde unà cum illa à ſubjecto quanto ex natura rei ſeparabilia. Patet rurſus inductione oppoſitum prædicatum inſeparabilitatis convenire defacto omnibus materialibus, tam abſolutis quàm modalibus: Convenit ergo allata explicatio omni & ſoli ſuo definito. Quod verò conveniat eſſentialiter, probatur: quia ab eo quod eſt primum in aliquo genere & ordine, eſſentialiter cætera denominantur talia, per connexionem ex natura rei cum illo. Sic Subſiſtentia & Unio dicuntur ſubſtantialia propter connexionem cum natura ſubſtantiali,

Noſtra explicatio

ali, quæ eſt quid primum in genere entis ſubſtantialis. Item gratia, habitus, & actus aliqui dicuntur ſupernaturales propter connexionem, ſeu cum viſione beatifica, ſeu cum unione hypoſtatica, quæ eſt primum quid in ordine ſuper naturali; alij verò habitus & actus dicuntur naturales propter connexionem cum ſubſtantia creata non modali, quæ eſt primum quid in ordine naturali. Similiter potentiæ, ſpiritus &c. dicuntur vitales, propter connexionem cum vita. Et in ordine morali, omnia dicuntur moralia propter connexionem cum actu voluntatis, imputabili operanti, qui eſt primum quid in ordine morali. Cum ergo etiam in ordine Entium materialium primum ſit, materia prima, tanquam fundamentum reliquorum, ex natura rei exigens quantitatem; conſequens eſt ut eſſentialiter omnia & ſola dicantur illa entia materialia, quæ connectuntur ex natura rei cum materia, tanquam cum ſuo ſubjecto quanto, (talis enim connexio potiſſimum indicat imperfectionem propriam entis materialis,) ſive conſtituendo materiam in ratione ſubjecti quanti, uti ſe habent materia & quantitas; ſive poſtulando materiæ inexiſtere pro ſemper ut ſubjecto quanto, ſicut forma quælibet materialis, Unio item, Actio &c. ſive coaleſcendo ex materia, quantitate, affecta, ut compoſitum quodlibet materiale.

§ IV. Ex hac notione entis immaterialis, Anton: Perez tract. 1. d. 3. de ſcient. DEI: c. 1. & tr. 2. diſ. 1. c. 6. latè deducit omne immateriale eſſentialiter eſſe intellectivum. Sed commodius diſtinguetur cum Quiros. tract: 4. de ſcien. DEI diſp. 34. Immateriale in Immateriale per exceſſum, quod ſcilicet ſit ſupra materiale, ſeu ſu-

pra

pra omnia entia materialia, & in Immateriale per defectum; ſicut etiam Ens improportionatum viribus Angeli, aliud eſt per exceſſum tale, qualis eſt viſio beatifica, aliud per defectum tale, qualis eſt calefactio. Quod enim poſſibile ſit ens immateriale per defectum, ex eo liquet, quia cum DEUS, poſitâ quacunq; creaturâ, poſſit facere imperfectiorem; poteſt etiam facere ens imperfectius, omni ente materiali, ipſaq; materia, non connexum cum materia, quidquid contradicat citatus Perez, materiam primam vocans ibi caudam mundi, etiam de poſſibili.

Hoc poſito, immateriale ſecundi generis, ſeu per defectum, non eſt intellectivum; eſt enim imperfectius, omni ente materiali, quod tamen non aſſurgit ad perfectionem intellectivi. Et quamvis tale ens excludat materiam & ordinem ad materiam: ex hoc tamen præcisè non videtur ſequi per ſe, quòd debeat eſſe vivens, & multò minùs intellectivum, quod utiq; ſupponit gradum viventis. Cæterùm Immateriale per exceſſum ex ſuo conceptu eſt intellectivum, ut docet D. Thom. 1. p. qu. 14. ar. 1. Suar. d. 3. met. ſect. 3. Molina, Valentia, & communiter Thomiſtæ, quos citat & ſequitur P. Lynceus lib. 7. Met. Tract. 2. cap. 4. Nempe tale ens ex ſuo conceptu præcisè dicit aliquam perfectionem majorem, quam ſit illa, quæ invenitur in ordine materialium entium, ratione cujus perfectionis elevatur, cæteris paribus, ſupra omnia entia materialia. At iſta perfectio non eſt alia, niſi eſſe intellectivum vel formaliter in ſe, vel in ſua radice: quia omnia alia prædicata, puta eſſe ſenſitivum, eſſe indiviſibile, eſſe incorruptibile, inveniuntur in ordine entium materialium; ipſa

An omne immateriale ſit intellectivũ.

vero

verò excluſio materiæ, & connexionis cum materia præciſe, poteſt inveniri etiam infra omnia entia materialia, ut dictum eſt. Ergo ens Immateriale per exceſſum, eſt eſſentialiter intellectivum vel formaliter & in ſe, ſi eſt natura & ſubſtantia; vel ſaltem in radice, ſi eſt accidens, aut unio ſubſtantialis, aut ſubſiſtentia. Hinc eſſe ſupramateriale repertum in ſubſtantia, non poteſt per ullum prædicatum, rei materialis compenſari, ſicut & eſſe intellectivum, utpote ex ſuo conceptu liberum & dominativum, capaxq; beatitudinis, compenſari nequit, per qualecunq; non intellectivum. Secus autem dicendum de ſupramaterialitate reperta in accidente, quæ conſiſtit in ſolo ordine ad ſubſtantiam formaliter intellectivam: & ſic Vbicatio Angeli compenſatur per ſenſitivitatem bruti. Sed de hoc puncto ſatis: non libenter enim immoramur divinationibus iſtis de rerum poſſibilitatibus, nobis non ſatis innoteſcentibus; quo genere diſputationis, plurimum delectantur pleriq; RR. latè excurrere ſoliti per ſpatium immenſum poſſibilitatis, non ſine periculo capiendi ſæpe ſpecioſam aliquam, & illuſtrem chimeram, dum veritatem inveſtigant illo principio ſolenni: *Non apparet implicantia*: quaſi verò noſtra non apparentia ſit certa regula diſcernendi rem poſſibilem ab impoſſibii.

Ad 1. Actus ille animæ, Chriſti Domini, eſt inſeparabilis à ſubiecto quanto, non ut à ſuo ſubjecto, ſed tanquam ab objecto, & termino extrinſeco, idq; ob ſolam connexionem intentionalem cum ipſo. Hoc autem minime obeſt ſpiritualitati actus intellectus, quia, cum ſit actus potentiæ univerſaliſſimæ, potentis verè perci-

pere quodlibet ens etiam materiale ut ſibi præſens, poteſt intentionaliter conjungi inſeparabiliter cum præſentia objecti materialis: ſicut idem actus poteſt conjungi intentionaliter cum objecto ſubſtantiali, vel negativo, cum ipſe ſit accidens, & ens poſitivum.

Ad 2. Sicut anima rationalis una cum ſpeciebus intelligibilibus impreſſis & habitibus poteſt ſeparari à corpore; ita pariter & actus intelligendi, & volendi, qui recipiuntur adæquatè in anima rationali, & immediate efficiuntur ab eadem cum concurſu ſpecierum & habituum Dependent enim actus intellectus ſolùm in fieri à phantaſmatis materialibus, & quidem non tanquam à ſubjecto ſed tanquam à cauſa efficiente, idq; mediate, quatenus dependenter à phantaſmatis accquiruntur ſpecies intelligibiles, intellectionem efficientes, quæ tamen conſervari poſſunt ſine phantaſmatis.

Ad 3. Si eductio gratiæ ſanctificantis ex lapide non eſt chimerica; admittendum erit in tali caſu, gratiam produci per actionem materialem & adhibenda erit inſtantia actionis accidentalis, per quam producitur effectus ſubſtantialis, Secus autem diſcurrendum de actione naturali, per quam non poteſt produci effectus ſupernaturalis. Ratio eſt: quia quando eſt actio naturalis, etiam effectus, quem trahit eſſentialiter talis actio, non eſt ſupra vires agentis naturalis, ſed debitus, virtuti activæ, ipſius, adeoq; eſt naturalis: cui enim debetur antecedens, debetur & conſequens, eſſentialiter connexum cum antecedente. Nihil autem ſimile videtur ſequi, ſi per actionem materialem producatur effectus ſpiritualis; dummodo hoc aliunde non repugnet, à quo interim præſcindimus.

4. Vnio

4. Vnio ſuſtentata adæquatè in ſola anima rationali,& terminata ad corpus,negatur poſſibilis, à Comptono, Arriaga, Ovıedo, tanquam includens in ſe ſpiritualitatem & negationem ſpiritualitatis. Si vero cum Hurtad. admittatur poſſibilis, dicendum eſſet talem unionem eſſe ſpiritualem, ſolumq; eſſe inſeparabilem à corpore, ut à termino, non autem ut à ſubjecto ſuo, atq; hoc non officere ſpiritualitati, ſicut non officit ſpiritualitati actus, connexio ipſius cum objecto materiali; & ſicut non officit perfectioni ſubſtantiæ, connexio eſſentialis cum aliquo accidente, v. g. cum aliqua ubicatione.

Ad 5. Sicut forma materialis creata v. g. Anima equi adhuc poſtularet ex natura rei uniri pro ſemper ſubjecto quanto, ſaltem tanquam ſubjecto puræ informationis; tum extra ſubiectum non poſſet naturaliter exercere ſuas operationes, (ſicut poteſt anima rationalis, quæ proinde non petit pro ſemper eſſe in ſubiecto etiam puræ informationis, eſtq; ideò ſpiritualis) ita pariter actio creativa animæ equi, ſequens conditionem ſui termini, poſtularet ex natura rei uniri pro ſemper ſubjecto quanto, ut ſubiecto informationis, & conſequenter adhuc eſſet materialis, juxta definitionem entis materialis, explicatam.

Paginâ	Verſu	Errata	Corrigenda.
18	23	caqut	caput.
21	31	obiecti	obiecti
25	In titulo:	reali.	rationis
29	In titulo	reationis	rationis
29	19	depotentia	de potentia
31	25	exioma	axioma
31	4 à finè	me	mera
89	25	eiſq;	eiuſq;
91	6	medum	medium
	7	de ſuo eſſe (omiſſum)	excluſo aut de Exclu:
125	17	contaadicto:	contradict:
226	4	reſpectu forma	reſpectu formæ

Cætera prudens Lector ex ſenſu corriget, inveniet autem alicubi u *locò* n *&* ſ *locò* f *& vice verſa.*

Vbicunq; item reperies: Vide Q. Q. SS. intellige Quæſtiones Theologicas ſelectas editas

1681.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google